

06

A

1004









23  
PRÆCOGNITORUM THEO-  
LOGICORUM

DISPUTATIO III.

# DE MEDIIS.

Quibus comparari potest

GENERALIS ET EXOTERICA  
THEOLOGICÆ COGNITIO,

Quam

*Annunte Altissimo*

Sub

PRÆSIDIO

BALTHASARIS MEISNERI,

S. S. Theol. D. & Prof. Publ.

*Ad συζήτησιν placidam*

*In Minori Auditorio habendam*

Proponit

M. CHRISTIANUS REINHARTUS  
Wittebergensis.

*Ad Diem 20. Aprilis, Horis pomeridianis.*

---

Witteberga, Typis Johannis Gormanni,  
Anno M. DC. XXV.



PRÆCOGNITORUM THEO-

LOGICORUM

DISPUTATIO III.

# DE MEDICIS

Quibus comparari potest

GENERALIS ET EXOTERICA

THEOLOGICÆ COGNITIO

Quam

Abhinc Anno

Sub

Reverendo

BALTHASARIS MESSNERII

Magistri Theol. D. & Prof. Publ.

Abhinc Anno

Abhinc Anno

Propone

M. CHRISTIANUS REINHARTUS

Wittenbergensis

Abhinc Anno

Wittenbergae, Typo Johannis Gammert

Anno M. DC. LXX





בְּיַד יְהוָה חֵיל וּפְעַל יְדֵי תְּרָצָה:

## DISPUTATIO III.

### PRÆLOQUIUM.



**R**OMA, illa πύσης τῆς οἰκισμένης κεφαλῆ τοῦ καὶ ἐπιτομῆς, Domusq; Virtutis, Imperij ac Dignitatis amplissima, fertur olim Honoris Templum habuisse, hæc ratione artificiosissimâ extructum, ut illud nemo ingredi potuerit, qui non inante per Virtutis com-

Honoris Templum.

modum transisset, August. de Civ. Dei. Quo ipso quid Romani Veteres innuere voluerint, quilibet promptè perspicit, alibiq; exponi luculentius consuevit: Interim id sanè, quicquid fuit siue ritus siue instituti laudabilis, à sapientissimo Dei Populo ad Gentiles Romanos promanasse, ac Theologiæ nostræ Sacratissima Hieroglyphicum longè venustissimum esse, intrepidi afferimus. Is enim tali quandoq; claruit, seu Tabernaculo de loco in locum portatili, seu Templo Hierosolymis perenniter fixo & stabili, in quod nemini patebat aditus, nisi loto prius & mundato, ac per πεγαύλιον quoddam, Atrium videlicet cùm Gentium, cùm Judeorum seu Sanctum Seculare, Exodi 40, 33. 1. Reg. 6. Hæc verò Theologia nobilissima cum universo suo & apparatu & ornatu ita similiter videtur comparata, ut ad interiora ejusdem Sacraria Adytaq; ordinariâ ratione perlustranda & addiscenda, contemplatione suâ qualicunq; vix quisquam illois quasi manibus ritè pertingere queat, quiq; non intentâ prius mente Anteaambula seu Vestibula illius permeârit, hoc est,



ipsa Linguarum Artiumq; Liberalium studia, delectabilia  
 pariter & utilia probè degustarit. Hec quippe necessaria,  
 ista sunt seu adminicula seu vehicula, quibus Doctrina coele-  
 stis ad nos commodissimè traducitur, traducta ad Posteros re-  
 ctissimè propagatur, & conservata utrinq; contra Adversa-  
 rios quosvis solidissimè propugnatur: Quod hætenus clarè  
 sat est confirmatum. Itaq; cum nos augustissimorum Theo-  
 logica Domus Penetralium accuratiorem Διασκευῆν, Divinis  
 Auspicijs, semel aggressi, ad istorum arbitrium dictorum  
 Disputationes jam binas instituerimus, & satis hætenus  
 in exteriori Linguarum & Philosophiæ Atrio haeserimus,  
 ibiq; ea, quæ tanquam Πρῶτα ἀναγκαῖα in primo statim li-  
 mine prælibanda erant, sufficienter nobis acquisiverimus u-  
 bertimq; discussimus: Utiq; nunc citra suscepti frustratio-  
 nem Operis, ipsum interius Theologiæ Sanctuarium oportu-  
 nè ingredimur, inq; eo singula illa, quæ ad sacram Erudi-  
 tionis Theologicæ suppellectilem comparandam pertinent, sol-  
 licitè longaq; animi provisione contemplamur. Idq; ipsum  
 deinceps in sequentibus ordine Disputationibus secun-  
 dùm distincta universa, quæ se intuentibus offerre poterunt,  
 capita largiore operâ, favente ALTISSIMO, persecuturi  
 sumus: Quam ob causam etiam præsentem mox Disputatio-  
 nem initium facimus, visuri ac percepturi Generaliorem  
 quandam & Exotericam Scientiæ Theologicæ compa-  
 rationem. De hac ergò, quod Gratiâ suâ benignissimè  
 prosperet Sacrosancta ΤΡΙΑΣ, sit

### THEOREMA I.

Post animum ritè preparatum, & adminicula utcunq;  
 comparata, in Nomine JESU CHRISTI suscipiatur  
 ipsum S. S. Theologiæ Studium.

1. Considerata huc usq; & enucleata fuerunt in Præcogni-  
 tis nostris Theologicis τὰ Πρῶτα ἀναγκαῖα ἢ ἀναγκαῖα, hoc est,  
 legit-



legitima quædam ac necessaria ad divinarum rerum Scientiam consequendam præparatio: Succedit jam ipsa τῆς Θεολογίας παιδεία, quæ veram ac sufficientem rerum Theologicarum comparisonem subministrat, congruam optimamq; Studij Theologici instituendi rationem referat, atq; adeò ipsum S. S. Theologiæ Studium longè dignissimum ritè dirigit atq; informat.

2. Hoc ipsum Studium, post præmissas ac quotidie repetitas serias ad DEUM Preces, de quibus in *Disputatione I.* minimè venit negligendum aut omittendum, sed summè existit necessarium. Licet enim incrementum det DEUS, attamen plantandum unà est Paulo, rigandum Apollini, 1. Cor. 3, 6. cum bonorum omnium largitor benignissimus, non saltem precibus, sed & sudoribus, dona sua mortalibus ordinariè vendat; quod etiam ex veteribus Græcis Menander agnovit, cujus hoc circumfertur Dictum: τῶν πόνων πωλῶσιν ἡμῖν πάντα ἢ ἀγαθὰ θεοί.

Studij fasci-  
piendi ne-  
cessitas;

3. Neq; verò hic levem aut quandam quasi per transennam SS. Theologiæ inspectionem intelligimus, sed operam diligentiorè & alacriorem requirimus; ideoq; Studium SS. Theologiæ suscipi jubemus, quod est assidua ac vehemens, ad aliquam rem applicata, magna cum voluntate occupatio, Hafsenr. in Proleg. Theol. pag. m. 5. Unde & idem, quoniam satis est arduum ac difficile, instituendum suademus in Nomine Domini nostri JESU CHRISTI, in quo alias omne, quodcunq; facimus in verbo aut in opere, inchoari vult Apostolus Coloss. 3, 17.

Qualitas;

4. Quod tamen non est ita accipiendum, ac si quis requisitam studij hujusmodi quotidiani & indefessi ἀγρίβειαν strictè ac sollicitè semper, in Academica præsertim adhuc vita, adhibere sive debeat sive valeat, sic ut postea eam assequi non potis, suo in proposito turbetur, vel de successu etiam omni penitus desperet. Ut enim Definitiones, ita quoq; Canones ac Regulæ habendæ sunt de perfecta Studij Theologici Idea: Ad quam utut pertingere non detur; aliquid tamen, juxta tritum eq; media via petitum Veriverbium, nihilo semper præstabit, & Est aliquò prodire tenus, si non datur ultra: Siq; vel maximè perfecisse in Academia non contingit, benè interim cœpisse sufficit. Non omnium in uno eodemq; studio versantium par est status atq; conditio: Vi-

Determi-  
nata possi-  
bilitas.



delicet manifestum, quod dispar necessario fiat profectus & eruditio. Alij sumptibus abundant; quidam vel maxime illis egent: Nonnulli naturali ingenij acumine pollent; alij contra mediocre illud habent. Ad Tabernaculi olim Mosaiici exedificationem, mandato DEI Exodi 25, 1. seqq. cuncti Filij Israel devotamente donaria voluntaria Exodi 35, 20. seqq. obtulisse memorantur; eadem tamen & aequalia non omnes, sed unusquisq; quod potuit: Alij argentum & lapides preciosos, alij byssum & purpuram, coccumq; & hyacinthum, alij deniq; arietum pelles pilosq; caprarum obtulerunt. Similis per omnia est processus in studio studioq; Theologico. Diversi diversa praestamus: Interim si aurum ad aedificij Templivè Mystici vel Theologici completionem conferre nequeamus; bene nobiscum agi statuamus, si pelles saltem pilosve caprarum obtulerimus, Hier. in Prol. Galeato. Fundamentum enim possum est CHRISTUS JESUS, super quod aedificantur non solum aurum, argentum, & preciosi lapides; sed & ligna, foenum ac stipula, attestante Paulo 1. Cor. 3, 12. In Ministerio V. T. Levitico non solum fuerunt Sacerdotes primarij, sed etiam inferiores, Levita, imò & Cantores, & Ianitores, & Nathinai, & alij Domus ministri; omnes tamen Sacris initiati & consecrati, Num. 18, 2. seqq. 1. Paral. 25, 26. 27. Esa 7, 24. Eadem ratione in Theologico nostro Officio non pot omnes, eidem addicti, aequales consequentur progressus, sicut neq; Officia Ecclesiastica, inter se inaequalia, aequales omnes desiderant; vix tamen quispiam erit, qui mediocri ingenio instructus, precibus & labore adjutus, debitoq; studiorum ordine eum manu ductus, amore ac laude dignum aliquid praestare nequeat. Tametsi ergò alicui ad primas sedes aspirare non liceat; laudabile interim erit, in secundis vel etiam tertijs subsistere, Clariss. Dn. D. Gerh. in Meth. Theol. p. 139.

## THEOREMA II.

Duplex  
Theologia  
cognitio.

Hanc Theologiae Cognitionem acquirere possumus & debemus dupliciter: Primum Generaliter & Exotericè; tum verò Specialiter & Acroamaticè.

1. Praclare notavit Cicero lib. 5. de Fin. non procul ab initio, duo fuisse Scriptorum apud Veteres genera: Populare unam seu ἑξωμετρὸν, quasi ἑξω (scilicet τῆς ἀπορίας) quod non profundam

ἑξωμετρὸν



fundâ speculatione indigeret, aut ἀρεάσιν arduam requireret? Alterumq̄, Limatus & Sublime seu Ἐσωτερικόν, quod in Commentarijs relinqueretur, tantâq̄; existeret difficultatis, ut sine voce operavè Magistri præeuntis mente vix percipi posset; unde & Ἀκροαμαλικόν dictum, quasi auscultatorium, quòd attentione diligentiore opus haberet: Cujusmodi omninò sunt Octo illi Aristotelis περὶ τῆς Φυσικῆς Ἀκροάσεως Libri, ut est apud Gellium lib. 20. Noct. Attic. cap. 4

Ἐσωτερικόν

2. Ea igitur Librorum seu Scriptorum distinctio, antiquis usitata, uti ad Disciplinas Philosophicas diversas non inrectè accommodatur, ita optimè quoq̄; distinctis cognoscendæ Theologiæ modis adhibetur: Nimirum ut Cognitio Theologiæ vel sic Ἐξωτερικῆ, sive exterior, pervulgatior aut generatior; vel Ἐσωτερικῆ seu Ἀκροαμαλικῆ, sive accuratior, enucleatior, diligentior aut specialior. Hæc quippè discendi docendiq̄; ratio convenientissima & utilissima, ut primùm generalis rerum ignotarum, in animo discantis Idea formetur & imprimatur, ejusq̄; postea partes singulæ meliùs subinde excutiantur & expendantur, donec exinde perfectissima numerisq̄; omnibus absolutissima rei oblata notitia enascatur.

**THEOREMA III.**

Generalis autem & Exoterica Theologia Cognitio comparari potest beneficio certorum aliquot Mediorum, numero 8. & secundùm nonnullos 9. De quibus ordine differemus.

De qua Generalis & Exoterica nunc consideratur.

Uti namq̄; Viator, de quo scitum est illud: Viator cogita, quò & qua eundum, iter aliquod ingressurus, Medijs certis vel maximè indiget, quibus propositum suum iter feliciter absolvere queat; quinimò in omnibus Actionibus humanis, Medijs ejusmodi saluberrimis opus est, per quæ Propositum ipsum in effectum facile deducatur: Ita tum in studio toto Theologico, tum in ejus quoq̄; apparanda Idea generaliore, Media & Adminicula, quibus Idea dicta ad satietatem & commoditatem apprehenditur imbibiturq̄;, singula in parato & numerato accurateq̄; nota habere, admodùm præstat, quò eò rectiùs ad usum transferri queant. Quam ob causam omnia illa particulatim à nobis evolvantur, evoluta diligenter expendantur.

THEO.





Cujus con-  
sequende  
Medium

I. Cursoria

Scriptura

Lectio.

Lectio Cur-  
soria quid.

## THEOREMA IV.

PRIMUM Medium est Cursoria Scripturae Le-

ctio, & quotidiana ejusdem repetitio.

1. Lectioem Scripturae Cursoriam hoc in loco neutiquam dici-  
mus secundum se, simpliciter & absolutè, quasi ea tumultuariè  
sit instituenda, & in transcurso tantum absq; omni prorsus stu-  
dio & intentione perficienda; non aliter ac *è Nilo fugientes bibere*  
canes feruntur, ne moras neccentes longiores à Crocodilo de-  
vorentur: Sed secundum quid solum, relate seu in respectu ad Accu-  
ratam, quæ Fontes, Analysin & Commentaria requirit, ita nun-  
cupamus, & eam intelligimus, quâ in Lingua seu Vernacula seu  
Latina, absq; omni Fontium & inspectione & collatione, absq;  
ulla Emphasium peculiarium consignatione, absq; etiam Inter-  
pretum consultatione, singulis Diebus certa quedam Capita Biblia  
percurrimus, ita ut Scripturae Textus familiarior nobis reddatur; qui sa-  
nè Finis est Lectionis illius principalis & unicus, *Clariss. D. Gerh.*  
*in Meth. pag. 147.*

Cur ante o-  
mnia preci-  
piatur.

2. Hanc verò ipsam Cursoriam & quotidianam Scripturae  
Lectioem ac repetitionem, primo omnium loco constituimus, tan-  
quam adminiculum, post decentem & ardentem DEI invoca-  
tionem, utile maximum maximumq; necessarium, non unas ob  
causas. Primum, proprium unicumq; Theologiae nostrae, inq;  
ea credendorum & faciendorum omnium, Principium est Scriptu-  
rae SACRAE. Principia autem in qualibet Disciplina semper diligen-  
ter veniunt præcognoscenda, utpote *ἀναπόδεικτα*, quæ probari  
ex aliis nec debent nec valent, sed ex quibus cætera omnia robo-  
rari fortissimè solent: Videlicet cognoscenda probè etiam ante  
omnia & evolvenda est Scriptura S., tanquam & ipsa in divina  
nostra Scientia indemonstrabilis, quam peculiariter & aliunde  
verificare non cogimur, sed ex ipsa Conclusiones Theologicas  
omnes derivamus, ac derivatas firmis necessarijsq; argumenta-  
tionibus roboramus, in eandem etiam Conclusiones proposi-  
tas quascunq; rursus resolvimus, *Dn. D. Gerhard. in Meth. pag. 141.*  
In Mare seu vastum illum Oceanum, toti Terrarum Orbi cir-  
cumfluum, omnia Flumina intrant, ex eodem egrediuntur, ad  
eundem

DEI



eundem quoq; revertuntur, *Eccl. 1, 7.* Simile in Theologia nostra Mare est Scriptura, quippe cujus profunditas nunquam satis explorari, cujus rerum abundans copia nunquam tota & plena exhauriri potest, *Hafenr. in Prol. Theol. p. 5.* Ad hoc igitur Scripturae Mare, ut omnia Meditationum & Commentationum nostrarum Theologicarum fluentia refluerent, dirigi atq; reduci fas est æquissimum; ita ex illo etiam eadem effluere, peti educiq; merito debent. *Ad Legem namq; & ad testimonium, Esaiæ 8, 20.* Sit ergo Scriptura nobis in Theologia, quod Geometris in Circulo Centrum seu Punctum medium. Ex Centro circumferentia describitur, ex Centro æstimatur, ad Centrum refertur & comparatur, Rectis quibuscunq; ex isto ad Circumferentiam æqualibus protractis: Eodem fungatur Scriptura officio, ut ex illa Cognitionis nostræ Theologicæ qualiscunq; Circumferentia non solum judicetur, adq; ipsius normam revocetur; sed exinde quoq; unicè ac primario Lineæ sacrae universæ æquabiliter deriventur, rerumq; Theologicarum περιόψεις integrè delineentur & efformentur. Sit deniq; nobis in Mysterijs Theologicis Scriptura, quod in Domo est Janua. Ad Januam nisi quis primò aditum sibi paraverit, interiora Domus Penetralia unquam cernere vix poterit: Theologia tota est Domus quæpiam splendidissima, Palatium augustissimum Thronumq; intus habens eximium, ac multis pollens Mysterijs reconditis; Januam ergo illius, Scripturam S., primùm occupemus, facileq; postea ad ipsum Scientiæ Theologicæ culmen Thronumq; sublimen pertingemus.

*Centrum.*

*Scriptura.*

*Script. Janua.*

## THEOREMA V.

*Annotari autem circa banc Lectionem Cursoriam quatuor debent. 1. Causæ, ad assiduam Scripturae Lectionem impellentes. Quales sunt: 1. DEI voluntas. 2. Scripturae ratio & dignitas. 3. Nostra necessitas. 4. Summa utilitas. 5. Inexhausta jucunditas, & 6. Laudabilis priorum exempla.*

1. Ut indigitata jam Scripturae Lectio Cursoria tum libentius suscipiatur, tum suscepta rectius adhibeatur, prudentius instituat, inq; majorem usum convertatur; plurimum expediet, *Pro ea feliciter absolventa 4. recapita quærantur.*



Capita 4. sequentia probè circa illam evolvere atq; expendere. I. Quas ob causas diligens Scripturæ meditatio requiratur? II. Quibus rebus necessaria ejusdem diligentia & intelligentia impediatur & corrumpatur? III. Quibus adminiculis eadem fulciatur ac provehatur? & IV. Quomodo ista Lectio concinnè ac Methodicè absolvatur?

I. In promptu habenda sunt causa provocatoria.

2. Etsi autem aliàs ipso Naturæ nutu ductuq; res singulæ, quò putantur & meliores & nobiliores, eò etiam magis ab universis exspectantur; adeoq; ipsius SS. Scripturæ, utpote ex omnium confesso res ceteras universas dignitate ac nobilitate suâ longissimè præcellentis, cognitio lectioq; meritò à cunctis avidissimè appetenda summoq; cum ardore prosequenda fuerit: Tardiores tamen solent esse homines ad rerum divinarum tractationem, nisi excitentur; ac Verbum DEI sacratissimum ferè negligere occipiunt, nisi rationibus gravibus ac momentosis incitentur. Ex igitur hic afferendæ sunt atq; exponendæ, quò somnolentos veluti calcaria quædam, ad opus Domini non negligenter faciendum instigent.

Harum sex apponuntur: 1. Præcepti divini auctoritas.

3. Movebit ergò ad Scripturæ diligentem perlustrationem I. DEI mandantis severitas: Quæ concernit partim Christianos omnes in genere, partim Theologos & Pastores in specie. Ad omnes promiscuè ait ipse Iehova Deuter. 6, 6. seqq. Erunt verba ista, quæ ego tibi hodiè præcipio, in corde tuo; eaq; acutè ingeres filiis tuis, & meditaberis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atq; consurgens; & ligabû ea quasi signum in manu tua, eruntq; & movebuntur inter oculos tuos; scribesq; ea in limine & ostijs domus tuæ. Ex Ios. 1, 8: Non recedet volumen Legis hujus ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, &c. Repetijt idem DEI Filius Iob. 1, 39. Επειράτω τὰς ὑπερφίας. Denuò inculcârunt illud Filij Apostoli, Paulus Col. 3, 16. Verbum CHRISTI habetes in vobis abundanter, in omni sapientia. Petrus in Ep. 2. cap. 1, 19. Habemus firmiorem Sermonem Propheticum, cui bene facitis attendentes, quasi lucerna in loco caliginoso lucenti. Similia sunt Exodi 13, 9. Esaiæ 8, 20. & Luca 10, 29. Ad Theologos limitatè pertinent Mandata non pauca, in Testamento cum V. tum N. exstantia. In V. T. DEUS præcepit, ut Levitæ portarent Arcam Testimonij totumq; Sanctua-



Stuarium & universa ejusdem vasa; verum non nuda, sed velaminibus suis prius involuta, Numer. 4, 5. seqq. Typus hic elegantissimus suum in N. T. habuit Antitypum. Videlicet Doctores omnes CHRISTUM similiter humeris suis in omnes Mundi partes portare debent. Is autem velaminibus suis, Sanctis nimirum Scripturis, est involutus atq; obtectus: Itaq; si Populo DEI proponere eundem atq; ostendere voluerint, Scripturam prius diligenter illos evolvere oportebit. In N. T. Apostolus Timotheo aperte injungit 1. Tim. 4, 13. Attende lectioni, exhortationi & doctrina. Item 2. Tim. 3, 14. Tu vero permane in ijs, quae didicisti, & credita sunt tibi; sciens, a quo didiceris. Singula haec & universa Divinae Majestatis sunt Oracula, quae temere contemnere velle summum esset nefas, quod gravissime tempore suo vindicabitur.

4. Movebit II. Ipsa Scripturae divinitas ac nobilitas. Haec e- 2. 'Scriptos-  
lucet partim ex praeclaris, quibus insignitur, Titulis. Dictum est re S. Maje-  
B. Athanasij memorabile: Scriptura est veritatis fideiq; vera magistra. Stas quam  
Quidni enim? Continet quippe ac proponit verba DEI fidelia & ipsi concili-  
veracia, Apoc. 22, 6. Imo ipsa est sermo veritatis, Jac. 1, 18. & ve- ant  
ritas ipsa, Job. 17, 17. cui assentiamur: Ipsa est verbum DEI & con- a. Appella-  
filium Altissimi, Psal. 107, 11. quod observemus: Ipsa est sermo tiones ve-  
DEI viventis, 1. Pet. 1, 23. verbumq; vitae aeternae, Job. 6, 68. quod nuste.  
amplectamur: Ipsa est δὲν αὐτῆς ἵς θεῶν, 1. Cor. 1, 18. cui confi-  
damus: Et quos alios Titulos honorificentissimos S. DEI Scri-  
ptura copiose sibi vendicat. Sin jam Titulis, quod utpluri-  
mum solet, inhiare, eq; ipsis qualitatem & amabilitatem rerum  
aestimare placet: Scripturam utiq; tam pulcherrimis elogijs  
condecoratam, magnificiamus, imisq; pectorum scrinijs infi-  
xam circumferamus, oportet.

5. Partem ex egregijs, quibus proponitur, similibus. Dicitur namq;  
Scriptura splendida mentis pedumq; nostrorum lucerna, Psal. 119, 105.  
qua observemus: Vocatur ignis calidissimus, Jer. 23, 29. cui appro-  
pinquemus: Nominatur mel dulcissimum, animam reficiens,  
Ezech. 3, 3. quod degustemus: Nuncupatur panis animam nutriens,  
Matth. 4, 4. quem comedamus. Scriptura existit salutare anima  
pharma-

β. Compa-  
rationes  
pulchrae.



pharmacum, Sap. 16, 12; ergo adhibendum: Est semen fecundissimum, Luca 8, 11; ergo in agrum cordis spargendum. Scriptura est, quæ comparatur malleo conterenti, Jerem. 23, 29. qui tractandus: Assimilatur dolabræ polienti, Os. 6, 5. quæ versanda: Conferitur speculo clarissimo, in quo DEI facies refulget, Sap. 7, 26. & 2. Cor. 3, 18. quod inspiciendum. Scriptura celebratur ut gladius penetrantissimus, Hebr. 4, 12. quo contra adversarios dimicandum, Eph. 6, 17. quem assumamus: Commendatur ut regula & norma, Psal. 19, 5. Lapis Lydius justissimus, ad quem omnia Dogmata omnesq; Spiritus exigi probariq; oportet, 1. Ioh. 4, 1. quem usurpemus: Et quæ plura similia elegantissima in ipsis Scripturis consignata reperiuntur, quæ sicuti lecta tantum, maxime delectant; ita præcipue rei comparatæ ac depictæ, Verbi DEI seu Scripturæ S., amorem atq; ardorem vehementem instillant.

7. Nobiliores Cause, utpote EFFICIENTES, tum Principalis augustissima; DEUS.

Tum Ministerialis dignissima; prop. de Apost.

6. Partim ex sublimioribus ac diviniorebus, quibus extruitur, Causis. Si namq; Scripturæ consideremus Causam Efficientem; Principalis potissimaq; DEUS est. Quid enim Scriptura existit aliud, quam omnipotentis Iehovæ Liber, λόγος aterni Codex, Spiritus S. scriptum, imò Trinitatis SS. totius Annales? Inde profecto est, quod Scriptura tota vocatur Θεόπνευστος seu divinitus inspirata, 2. Tim. 3, 16. Inde toties verba illa Majestatica & Emphatica in Scriptura leguntur, Locutus est Dominus, Dixit Iehova, Hoc est verbum Domini factum ad Prophetam, Audite verbum Domini: Inde Veteres etiam Scripturam apertissime DEI dixerunt Vocabularium. Si ergo Scientiæ alicujus humanæ cognitione flagrantibus, imprimis opus est, ut Vocabula principio Terminosq; Technicos bene sibi notos ac familiares reddant: Quomodo nos Scientiam divinam absq; DEI Vocabulario, rite prius prælibato ac perlustrato, percipi posse putabimus? Quin igitur Scriptura ante omnia est discenda, est meditanda. Instrumentalis & subordinata sunt D. Prophetæ & Apostoli, qui fundamenta sunt muri Ecclesiastici, Apoc. 21, 14. fundamenta, quibus superstructi sumus, Eph. 2, 20. Ignorato & non satis curato fundamento, facile collabascere potest superædificata Domus: Qui ergo velint esse in Domo DEI, Ecclesia, ejusq; Doctrina sincera universa, à ruina tuti atq; immunes; mature sibi



sibi de fundamento solido, Scriptura videlicet S. seu Prophetica & Apostolica Doctrina, extra quam dicere nihil debemus, exemplo Pauli Act. 26, 22. prospiciant, ac sufficientem ejusdem notitiam acquirant, oportet. Si spectemus Materiam, longè profectò illa est nobilissima & ita comparata, ut meritò unumquemq; ad cognitionem sui sedulam non ducat, sed rapiat. Rerum aliàs splendidarum & sublimium cognitionem in humana vita maximè venamur, sectamur: Quid autem rebus in Scriptura S. propositis & contentis, seu splendidius seu sublimius ullibi existit? Ea differit de DEO, de Operibus DEI, de Ecclesia, de vita aeterna, & summatim de talibus in universum capitibus, quæ sunt mysteria abstrusissima, παρρησια, Joh. 16, 25. καὶ σοφία τῆς θεοῦ ἐν μυστηρίῳ, ἢ ἀνοκρηγυμένη, I. Cor. 2, 7. ut cum Paulo exclaimandum sit meritò Rom. 11. 33: O profunditatem divitiarum & sapientie & cognitionis DEI! Ac proinde rectissimè unusquisq; pius, seu Christianus seu Theologus, cum Psalte Regio Davide Psal. 19, 11. Præcepta Iehovæ purgatissimo auro desiderabiliora, melleq; ac mellis favo dulciora statuit, & Psal. 119, 14. 15. 24. in via testimoniorum Domini delectatur, sicut in omnibus opibus; in mandatis ipsius exercetur, & semitas ejusdem intuetur; quin & testimonia illius pro oblectationibus & consiliarijs suis reputat atq; observat. Si perpendamus Scripturæ Formam; sic ea omninò est augustissima, sic concinnata, sic numeris cunctis absoluta, ut rimari eam ex parte valeamus, mirari satis unquam nequeamus. Linguae hinc habetur singularis excellentia, styli artificiosa elegantia, ordinis accurata observantia, Textuum venusta coherencia, rerum traditarum mira & pulcherrima ubiq; consonantia, adeoq; T. utriusq; V. cum Novo insignis & præcisa correspondentia. Olim Cherubinos duos se mutuò, versisq; in Propitiatorium vultibus, DEUS respicere voluit, Exod 25, 20. Propitiatorium CHRISTUS est, Rom. 3, 25. Cherubini duo Testamenta significant, de CHRISTO unicè testantia: Hac se mutuò aspiciunt, Vetus in Novum prospiciendo, Novum ad Vetus respiciendo. Quod Veteres concinnè vereq; ita enunciarunt: T. Novum in V. latet, Vetus in N. T. patet. Sunt ergò μὴ ἁδὸν ὁρῶντα Ingenia, quæ rebus ejusmodi delectantur? Discant Scripturas: Invenient tibi in excellentissimo gradu omnia, quæ

MATERIA  
splendidiss-  
ma:

FORMA  
venustissi-  
ma:



**FINIS**  
**excellentif.**  
**simus.**

quotidiè acutè meditentur, gratè venerentur, cotamodeq; imi-  
teatur. Si deniq; excutiamus Finem, similiter præstantissimus  
ipse est & copiosissimus, dum pulcherrimarum nobis rerum,  
possessionem commodissimam Scriptura dextrè conciliat. Hæc  
enim est medium Fidei salvificæ, Rom. 10, 17. instrumentum Salutis  
Christianæ, Iac. 1, 21. & vehiculum vitæ æternæ, Iob. 20, 31. Quis  
ergò illam avidè non legat, lectam sedulò non expendat? Infi-  
delis sit, qui in Scriptura quotidiè non meditetur; Epicurus  
sit, qui Scripturam aspènetur; Damnatus sit, qui Scripturam  
summo cum studio non veneretur: Nos qui fidem servare, & sa-  
lutem nobis æternam comparare cupimus, eandem jugiter co-  
lemus, legemus.

**8. Effectio-**  
**nes præcla-**  
**re.**

7. Partim ex nobilissimis, quæ parit, Effectis. Nullum jota in Scri-  
pturis legitur, à quo non pendeant magni Doctrinarum montes, Dictum  
est Rabbinorum veterum Icitum tritunq; ac vero verius. Tota  
namq; Scriptura ἡρόωνευς, asserente Paulo 2. Tim. 3, 16. uti-  
lis est πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἔλεγχον, πρὸς ἐπιτιμίαν, πρὸς  
καταδείξαν. Hæc nimirum singula nobis tum credenda tum faci-  
enda monstrat: Hæc veram Boni summi, DEI Ter Opt. Ter Ma-  
ximi, cognitionem perfectam declarat, sapientiam solidam re-  
serat, æternamq; Beatitudinem ostentat: Hæc mentes ignoran-  
tiâ exitiali liberat, è pectoribus errores crassos exterminat, du-  
bia mota facilè conciliat, absurda repugnantia plenariè diffi-  
pat & confutat: Hæc tanquam prudentissima morum sancto-  
rum DEOq; acceptorum magistra, virtutis indagatrix, vitiorum  
expultrix, superbiam DEO bonisq; inimicam radicitus extirpat,  
humilitatem DEO hominibusq; dilectam optimè plantat: Hæc  
quomodo εὐσεβείαν erga DEUM, δικαιοσύνην erga proximum,  
σωφροσύνην erga nos ipsos ritè exercere debeamus, sufficienter  
nos informat, atq; illa cuncta perfectissimè docet in terris, quo-  
rum fructus copiosissimè nos manet in cælis. Quodq; Cicero  
in Orat. pro Archia de Studijs humanioribus affirmat, Scriptura  
multò plenius veriusq; præstat: Hæc siquidem est, quæ adolescen-  
tiam alit, senectutem oblectat, secundas res ornat, adversis per fugium  
ac solatium præbet, Deuter. 30, 20 Psal. 119, 9. Sap. 8, 9. 10. 16. Hæc  
est, quæ vitæ tranquillitatem affert, & verum spirituale gaudium  
confert, Psal. 119. 92, 130. mortisq; terrorem aufert, Iob. 8, 51.  
ita ut ex præceptis illius una dies benè transacta, peccati immor-  
talitati



realitati sit anteposenda, Psal. 84, 10. 11. Hæc deniq; est, quæ valet  
nos ad  $\Phi$ ideli eis  $\sigma\omega\tau\eta\epsilon\iota\epsilon\upsilon$  per Fidem, quæ est in CHRISTO JESU, 2.  
Tim. 3, 15; unde & homo noctes atq; dies in Lege Domini versans, Bea-  
tus denominatur, Psal. 1, 1. 2. Sin ergo communiter Artificem ob  
artem singulariaq; quæ edit, opera amamus & observamus:  
Qua, quaeso, ratione Scripturam Sacratissimam, tot tantisq;  
insignibus & utilibus Effectis præillustrem, diligenter imprimis  
præ omnibus reliquis nocturnâ diurnâq; manu non versemus,  
& salutarium ipsius Effectuum participes fieri non conemur?

8. Partim deniq; ex peculiaribus, quibus prædita fulget, Affectioni-  
bus. Sufficiens namq; est Scriptura atq; perfecta, animos conver-  
tens: Fidelis est, nec dubia vel suspecta, sapientiam parvulis præ-  
stans: Recta est atq; infallibilis, corda lætificans: Lucida est &  
perspicua, oculos mentis illuminas: Vera est, atq; in semetipsa  
justificata, Psal. 19, 8. 9. 10. Atq; sic hanc ipsam etiam ob causam,  
diligentem sui lectionem ac meditationem cupidissimam Scri-  
ptura omnibus insinuat; cum nemo sit, qui non perfectum pro  
mutilo, certum pro dubio, rectum pro abnormi & curvo, ve-  
rumq; pro falso cupiat inquiratq;.

9. Movebit III. Inevitabilis nostra necessitas. Quippè ita  
jam post lapsum naturâ nostrâ sumus comparati, ut quotidianâ  
Scripturæ informatione carere minimè queamus, sed in caligine  
densa versantes, lucernâ ejus lucente vel maximè indigeamus,  
Esaie 9, 2. & 2. Pet. 1, 19. Nam salutaris DEI notitia mentibus no-  
stris nequaquam sive innascitur sive connascitur, sed ex revelato  
DEI verbo seu Scriptura S. unicè petitur atq; hauritur: quod de-  
monstrant Dicta Matth. 11, 26. & cap. 16, 17. Ioh. 1, 18. &c. Hoc  
Scripturæ Verbum à DEO benignissimo datum est nobis Me-  
dium ordinarium, per cuius auscultationem devotam ac medita-  
tionem sedulam, in piorum animis, post preces ardentissimas  
præmissas, singulari Spiritus S. efficaciam, vera DEI cognitio ac-  
cenditur, uti patet Luca 24, 32. Act. 16, 14. Proinde si per canales  
precum nostrarum, quibus cum DEO loquimur, cœlestem sapien-  
tiam ad nos derivari volumus; necesse est, ut ex Sapientiae illius  
fonte seu Verbo divino, quo DEUS nobiscum loquitur, canales  
istos rectè ad ipsum deducamus, verbumq; ipsius ei objiciamus,  
Psal. 27, 8. Quod sanè absq; solidiore ejusdem notitia, per lectio-  
nem frequentiore[m] comparata fieri qui poterit?

5. Affectio-  
nes eximias

III.  
3. Commu-  
ni necessi-  
tas.

10. Mo-



A. Redun-  
dans utili-  
tas.

10. Movebit IV. Incredibilis Scripturae utilitas. Ita affecti solent esse homines, ut quamvis rei alicujus dignitas atq; necessitas oculis quandoq; omnium sit evidentissima; Eandem tamen recipere atq; amplecti detrectent, nisi utilitatem manifestissimè conjunctam videant: Scriptura S. non saltem indubiam habet originis divinitatem, ac apertam cognitionis necessitatem, sed & utilitates cognoscenti confert eximias, atq; sic modis omnibus satis superq; se commendat, ut meritò nemo non ad eam rectius & continuò perdiscendam non propendere solùm, sed currere quasi ruereq; molimine magno debeat. Præter ea enim, quæ antea circa Finem & Effecta ipsius cumulatè sat in genere allata habentur, peculiare quidam & insignes restant Scripturæ usus, qui prætereundi nobis hoc loco non sunt. Nam Scriptura est, quæ maximè nobis necessariam distinctam triplicem γνώσιν ac διάνοσιν fideliter communicat. Tria præcipuè sunt Objecta, circa quæ perpetuò quasi nos occupatos esse oportet, quæq; accuratè imprimis atq; ad unguem, ut dicitur, cognita & explorata habere debemus: Videlicet DEUM, Diabolum atq; Nos ipsos. Tria hæc sufficienter depingit ac describit Scriptura: Illum quidem, ut justum scelerum vindicem, & Patrem misericordem, Exod. 34, 6. 7. Istum, ut homicidam & mendacem, Iob. 8, 44. adversarium & calumniatorem nostrum, 1. Pet. 5, 8. Nos tanquam in peccatis natos & conceptos, atq; pueritia malos & perversos, Psal. 51, 6. Gen. 6, 5. Illum ergò timendum & sincerè diligendum, istum sollicitè cavendum, nos ipsos intra limites legitime continendos esse, clamat atq; inculcat. Scriptura etiam est, quæ principalia corporis nostri membra diligenter informat, atq; ad divinum nutum conformat: Menti videlicet instillando sapientiam & prudentiam; voluntatem dirigendo justitiã & sanctitate; cor erigendo timore DEI, fiducia in DEUM, & constantiã erga DEUM, charitate erga proximum, & patientiã erga seipsum; os linguamq; implendo facundiã & laudibus DEI; manu flectendo ad beneficia subsidiaq; egentibus libenter præstanda, &c. Quæ singula qualia & quanta sint, alibi locorum fusiùs commemoratur atq; probatur.

S. Conco-  
mitans vo-  
luptas.

11. Movebit V. Singularis Scripturae jucunditas, quam respectu tam absoluto quàm relato possidet. Est Scriptura jucundissima quia o-



quia omnia illa, quæcunq; aliàs jucunda in Mundo denominari  
possunt, in se καὶ ἐξ ὅλης quasi sola continet, verumq; modum  
ad illorum acquisitionem absq; molestia pertingendi ostendit.  
In ea *divitiæ ac thesauri veri* in cœlis nobis repositi dicuntur, *Matth.*  
*6, 20; Hereditas immortalis, & incontaminabilis, atq; immarcescibilis*  
erga nos conservari affirmatur, *1. Pet. 1, 4.* Ab eadem filii & here-  
des Dei, cohæredes autem Christi denominamur, *Rom. 8, 17.* *Sponsa*  
*vestimentis salutis induta, pallio justitiæ circumdata, ac monilibus preciosis*  
*ornata nuncupamur, Esaiæ 61, 10.* Quæ ipsa quis unquam vel satis  
æstimare, vel linguâ suâ mortali deprædicare potest? Quibus no-  
va hæc accedit jucunditas, quòd ea singula tam suavi concentu  
in Testamento cum V. tum N. dicantur ac repetantur. Est etiam  
*Scriptura jucundissima*, quoniam ea sola præ omnibus aliis munda-  
nis rebus delectationem ac voluptatem veram conciliat. Ut e-  
nim corpus à vanis etiam & corruptibilibus rebus exhilarari &  
recreari valeat: Anima tamen, quæ spiritus est, terrestribus atq;  
mundanis voluptatibus quibuscunq; satiari & confortari peni-  
tus renuit, sed tristitia ipsi ex Melancholia suborta, levationes  
atq; recreationes alias, ex Spiritus S. Panacea hortoq; voluptua-  
rio depromptas requirit, *Psal. 77. & 119.*

12. Movebit tandem VI. exemplorum nobilissimorum gravitas:  
Siquidem plurimi ante nos pii ac religiosi Viri, diligentes & assi-  
dûi in Literis S. evolvendis fuerunt. *David* Rex & Propheta,  
quantam in verbo Domini delectationem habuerit, in toto illo  
*Psal. 119.* quem de Legis divinæ dignitate & utilitate conscripsit  
prolixum, passim commemorat: *Iosias* pientissimus omnia verba  
totius Legis coram universo Israël prælegi curavit, *2. Reg. 23, 2:* *Eu-*  
*nuchus Regina Æthiopum*, curru vectus, *Esaiam Prophetam* legit, ejusq;  
explicationem à Philippo petiit & impetravit, *Act. 8, 28. 31.* *Ber-*  
*rhoenses* receperunt sermonem cum omni animi promptitudine,  
quotidie scrutantes *Scripturas*, an hæc ita se haberent, *Act. 17, 11:*  
*Timotheus* à Paulo Apostolo *2. Tim. 3, 15.* commendatus est, quòd  
ab infantia S. Literas noverit; & nihilominus tamen *1. Tim. 4, 13.*  
jussus, ut lectioni attenderet: *Alphonsus Hispaniæ & Neapolis Rex*,  
de perlectis à se quaterdecies *Bibliis*, non nudè tantum, sed unâ  
cum usitatis *Glossis, Lyra Commentariis & Burgenfis Additionibus*, glo-

6. Exemplo-  
rum multo-  
rum celebri-  
tas.

C

riatus



rus fuit. Quorum omnium ac reliquorum plurimum vestigia nos sollicitè tenere, & Scripturam S. diligenter evolvere est æquissimum. *Alexander ille Magnus Homeri Carmina* ita adamâsse dicitur, ut ea neq; noctu à se deposuerit, sed continuè unâ secum in lecto subter caput reposita habuerit. Fecit hoc Ethnicus Rex in Scripto profano: Quanto magis nos Christianos Spiritus S. Poëma augustissimum ita meditari ruminareq; docet, ut divite Scientiæ Sacrae penu instructi, à bonis fortassis hujus Mundi ejecti, cum *Philosopho* illo verè dicere queamus: *Omnia nostra nobiscum portamus.*

Theologos tandem in specie commonet incumbenti Officii qualitas.

13. Atq; hæ tandem sunt Causæ illæ gravissimæ, quæ uti momentum adhortationis ad diligentiam, in Bibliorum evolutione ac meditatione quotidiana à *Christianis omnibus* præstandam, habent maximum; ita imprimis eos, qui *Theologi olim verbive Ministri* audire volunt, fortiter devinciunt atq; astringunt: Sicut tacita iisdem ad Scripturam diligentius perlegendam calcaria ipsorum *illorum Officium* subministrat. Sunt & vocantur *θεολογοι* quasi *Sermones Dei*: Videant ergò, ut secundum Apostoli monitum 1. Pet. 4, 11. loquantur *λόγια τῆς θεῆς*, & scrutentur Scripturam, ne illam negligentes, & Philosophiæ καὶ τῶν ἀνθρώπων σοφισμοῖς nimis inhaerentes, Coloss. 2, 8. ἀνθρώποιοι potius quam θεολογοι existant. Dicuntur passim *Legisperiti, Νομιμοι*, qui secundum Legem Dei pronunciare jubentur, Deuter. 17, 10: Necessè itaq; habent, ut in Lege Domini die nocte q; meditentur, Psal. 1, 1. & accuratam ejus notitiam sibi acquirant. A Christo nominantur *Γραμματεῖς, Schriftgelehrten* ad regnum Cælorum docti, Matth. 23, 52. Sint igitur, ut *Apollo* Act. 18, 24, 28. *διωαῖς* etiam ἐν ταῖς ἑραφῶν, ut possint διὰ τῶν ἑραφῶν Ἰπιδενύνας, Jesum esse Christum. *Doctores sunt, Ministri verbi & Evangelii* existunt, quin & *Evangelista* audiunt, 1. Cor. 12, 28. Ephes. 3, 7, & 2. Tim. 4, 5. Quod verò aliis proponere, aliosq; docere debent; in eo diligenter prius oportebit esse præparatos & instructos. Deniq; *Legatione pro Christo funguntur, Deo exhortante per ipsos*, 2. Cor. 5, 11. Legati autem nil nisi Regum ac Principum suorum Mandata & præscripta, illi similiter verba Dei, unice proponere ac sonare debent; proindeq; illos ante omnia de ipsis optimè informatos certosq; existere decet.

THEO-



## THEOREMA VI.

*II. Notentur Impedimenta tūm diligentiae, tūm verae intelligentiae, quae debent removeri mature. Impedimenta diligentiae sunt: 1. Odium atq; fastidium veritatis. 2. Sinistrum de scriptura iudicium. 3. Ignorantia vel omissa consideratio propria indigentiae. 4. Aliorum studiorum prelatio.*

*II. Declinanda sunt Impedimenta retardatoria, Tūm diligentiae:*

1. Quando negotium aliquod arduum suscepturi sumus, prima nobis est cura, ut de iis, quae remoram fortassis cursui medio injicere possent, removendis cogitemus, ne postea praeter spem nostram ab illis detineamur: Quod interdum experiuntur Via-tores, ut coeptum suum iter propter obstacula quaedam, in via media sive objecta sive intervenientia, continuare totum nequeant, sed abrumpere & cum taedio regredi cogantur. Consimiliter nobis difficile illud Meditationum Sacrarum Opus aggressuris necessarium vel maxime est, ut Regulae istius dictae memores, obstacula omnia e medio tempestive tollamus, ne coeptum postea temere & cum ignominia sit relinquendum. Unde est, quod ipse Dominus parare vias suas, & rectas in solitudine semitas suas fieri, per Prophetam clamat *Esaie 40, 3.* Quapropter ut domum quampiam ingressuri, foresq; clausas jam aperientes, & tintinnabulum ante fores suspensum tinnire audientes, attenti sunt, ne fortassis in ipso limine damnum aliquod accipiant aut alias impingant: Sic nos de Scriptura diligenter legenda jam certi, videamus, ut a principio statim ea singula, quae nos detinere & impedire possunt, prudenter declinemus. Quorum quidem alia deprehenduntur circa Scripturae legenda diligentiam, alia circa lectae intelligentiam.

2. Esse autem quatuor illa enumerata revera diligentiae Biblicae impedimenta, operosa demonstratione non indiget. Qui enim Sacrosanctam verbi divini veritatem sive fastidit sive odit, ut *2. Thess. 2, 10. 12.* dicitur; aut saltem sinistras de eadem opiniones concepit, & prejudiciis quibusdam, ejusmodi *Coloss. 2, 8.* recensentur, imbutus est: Quam diligentiam ille ad



Scripturæ Lectionem afferre poterit? Qui verò indigentiam suam extremam, de qua in *precedentis Theorematis V. Paragrapho 9.* cum Laodicensi Episcopo *Apoç. 3, 17.* non agnoverit; aut alia Studia magis tenaciusq; curaverit, sicut Iudæi *Hag. 1, 4.* Templo Domini neglecto, domos interim suas ædificabant: Is profectò diligentiam Biblicam vel nihil ad se pertinere, vel parùm sibi futuram censebit. Imprimis qui Autorum aliorum quàm Textus Biblici evolutionibus magis incumbere assueverunt, videntur maximè ita à Diabolo compelli, qui ne aliquando ab ipsis, singulariter in Scriptura proficientibus, detrimenta summa experi-ri cogatur; à Scripturæ via ad nugarum avia illos deducit, fortemq; sapientiæ ad salutem iis obstruit: Quod benè hoc in loco notari debet, ut malis Satanæ *νοήματα* maturè obviam eatur *2. Cor. 2, 11.*

## THEOREMA VII.

*Impedimenta veræ intelligentiæ vel præcedunt Lectionem, ut 1. Neglectus precum. 2. Carnalis sapientiæ & prudentiæ, si juxta illam Dicta Biblica velit quis intelligere. 3. Impietas & peccata contra conscientiam. 4. Indocilitas orta ex præjudiciis & præconceptis opinionibus, quibus plurimè sunt imbuti. 5. Ignorantia Linguarum. 6. Ignorantia Catecheseos primorumq; fundamentorum Fidei Christianæ.*

Qui fructum aliquem ex opere suscepto reportare cogitat, admodum providus est, ut se ad illud perniciendum rectè præparet, præparatus ritè istud inchoet & continuet, continuato commodè utatur. Dictum hoc nobis esto, qui Scripturæ S. Meditationem commodam apparamus. Non sufficit hîc legere, sed lectam intelligere expedit: Ideoq; ut veram Scripturæ intelligentiam, quam desideramus, opere ipso consequamur, diligenter nobis singula ista veniunt præmeditanda, ut videlicet prudenter nos præparemus sapienter continuemus, & salutariter usurpemus; & proinde declinemus *Impedimenta, Scripturæ S. Lectionem tum præcedentia, tum comitantia, tum consequentia.* Statim verò ante ipsam adhuc Lectionem, intelligentiam veram propositis sex Vitiis repellatq; abigi longissimè, quilibet fatebitur. Namu

*Tum intelli-  
gentiæ: Et  
Lectionis  
quidem  
partim ante-  
ambula;*

*Dum videli.*



Nam 1. Quemadmodum ex fonte aliquo ubicunq; reper-  
to, aqua per canales aptos ad loca ea, quæ aquâ indigent, dedu-  
ci commodè solet: Ita quicunq; ex Scripturæ fonte salutari seu  
Mari potius profundissimo, eruditionis aquam haurire cupit, per  
piarum precum canales eam ad se derivare opus habet. Si autem  
homo, in precatione saltem hesitabundus, quicquam se à Domino  
accepturum, sperare nec debet, nec valet, Iac. 1, 7. Num precum  
contemptorem divina intelligentiâ donatum iri credibile?

1. Preces con-  
temnantur.

2. Carnalis Sapiencia & Scriptura divina è diametro sibi in-  
vicem repugnant. Quæ enim communio luci cum tenebris? 2. Cor. 6,  
14. Animalis homo non capit ea, quæ sunt Spiritus Dei: Stultitia signi-  
dem illi sunt, nec potest cognoscere, quia spiritualiter dijudicatur, ait Pau-  
lus 1. Cor. 2, 14. Quare nemo scripturam intelligere valebit, qui  
carnalibus tenebris implicatus fuerit. Cernere hoc licet tum in  
Iudæorum Principe Nicodemo, qui crassis cogitationibus repletus,  
regenerationis mysterium percipere non poterat, Ioh. 3, 4, 9, 10.  
tum in Calvinianis, qui subinde in divinis rationem suam dominari  
patiuntur, atq; hinc verum Scripturæ sensum non ubiq; assequun-  
tur. Caro & sanguis mysteria non revelant, sed Pater, qui est in Cælis,  
Matth. 16, 17: Ab hoc unice est discendum, quicquid de ipso ve-  
nit sentiendum. Doctores & Interpretes verbi sui is instituit. Verùm  
hi non sunt uniusmodi: Alii Passivi & integri, qui rationi frenos  
in S. Mysteriis non laxant, sed secundum Apostoli præscriptum  
2. Cor. 10, 6. sub obædientiam Christi captivant; Alii Activi & cor-  
rupti, qui propriæ sapientiæ normâ Oracula & Miracula Dei  
mensurant, ideoq; à janua sæpius aberrant. Hos fugiamus, illos  
audiamus, ut veræ intelligentiæ participes fiamus.

2. Rationi  
propria nimis-  
um tribuitur.

3. Uti Sapiencia ipsa in malevolam animam non intrat, nec in cor-  
pore peccati subdito habitat, Sap. 1, 4: Ita quoq; Spiritus S., qui Spi-  
ritus est sapientiæ atq; intelligentiæ, Esa. 11, 2. ac divinus ille ostiarius,  
Ioh. 10, 3. verè sanctus est, sanctosq; & nos in conversatione omni requi-  
rit, 1. Pet. 1, 15. ideoq; subducit se ab illis, qui nil nisi impia & sce-  
lerata meditantur, nequitasq; & flagitia sectantur, Sap. 1, 5. uti  
factum legitur Sauli 1. Sam. 16, 14. Impossibile igitur est, ut pec-  
cator contumax à Spiritu S. seu ducatur seu illuminetur, quò  
operæ

3. Animus peccati  
prægrava-  
vatur.



operæ aliquod precium in Scripturæ S. meditatione facere valeat: Quin potius idem peccatis suis, contra Conscientiam quotidie designatis, gratiam totius SS. Trinitatis penitus deperdit, Patrem, Doctrinæ omnis fontem, *Iob. 6, 45.* exiccando; ejusdem viam & veritatem unicam, *Filium Iob. 14, 6.* amittendo; & utriusq; amorem, *Spiritum S. Iob. 15, 26.* contristando.

4. Mens præjudicii multis fasciatur.

4. Præjudicia mentibus inhærentia ipsam Scripturæ Librum penitus occludunt: Quia quomodocunq; etiam attentè Scriptura legatur; semper tamen secundum opinionem falsam præconceptam explicatur, atq; sic à vera intelligentia enormiter aberratur. Videmus id in Phariseis, qui præjudicio hujusmodi fasciati. Tempus exhibiti Messias dijudicare non poterant, *Matth. 16, 3, 6.* Philosophis quoq; Græcorum, qui Speculationibus suis subtilissimis præoccupati, Doctrinam Pauli aspernabantur, *Act. 17, 18.* Videmus idem hodiè in Judeis obstinatis, Messiam expectantibus; Enthusiasticis, revelationes jactantibus; Calvinianis, rationi confidentibus; aleis. Qui à limine non vult aberrare, opiniones suas corrigat maturè.

5. Lingua ignorantur.

5. Lingua scientiarum vulgò fores & claves dictitantur: Quidnàm eadem ad scientiæ etiam Sacræ contenta percipienda plurimum conferre momenti censeantur? Certè augustissimum veritatis & intelligentiæ Biblicæ Palatium nequaquam ingredietur, nisi qui fores prius tenuerit, easq; clavibus ordinariis aperuerit, Linguas nimirum calluerit.

6. Principia Religionis necessaria non tenentur.

6. Deniq; ut Architecti primò omnium fundamenta necessariò ponunt, positisque postea domum superstruunt: Ita planè in Theologica se res habet Officina. Nunquam ineffabilem Scripturæ subtilitatem ac majestatem attinget percipere, qui non Catechetica manu ductione subnixus fuerit, & prima Fidei Rudimenta præcognoverit. Infantes, antequam pane, carnibus cibisque aliis solidioribus vesci queant, materno lacte aluntur: Habent & Christiani suum, quo sustententur, alimentum distinctum duplex: Lac, Cibumq; solidum. *Hebr. 5, 12.* Qui ergò in vera & genuina Scripturæ intelligentia crescere & adolescere vult; is lacte primùm Catechetico nutriatur, donec vires assumat, & cibum solidum concoquere valeat: ne si integra Articulorum plenius in Scriptura propo-



propofitorum volumina vorans, & bucellam τῶν εἰρηκίων τῆς δε-  
χῆς τῶν λογίων τῆς θεῆς non concoquens, vel revomere vel perpete  
cruditate laborare cogatur.

## THEOREMA VIII.

Vel conjuncta sunt cum ipsa Lectione, ut 1. Partim sociat  
*Debita attentionis & meditationis intermissio. 2. Negle-*  
*ctus Vocum & Phrasum, si non singula ponderentur accuratè.*  
*3. Neglectus Scopì, Contextus, Locorum similium, & aliorum*  
*mediorum, quibus indagari potest sensus genuinus.*

Singula hæc, sive se junctim sive conjunctim spectata, fa-  
ciunt, ut debita Scripturæ intelligentia in ipso Lectionis fervore tur-  
piter amittatur. Nam 1. Somnolentus aliisvè cogitationibus S.  
Scripturæ Lectioni incumbens, vel Horis Succisivis & extraordi-  
nariè quasi istud faciens, quid singulare discat vel etiam intelli-  
gat, cum seipsum legentem non attendat, sed perfunctoriam sal-  
tem, non accuratam meditationem instituat? 2. Sicut in quo-  
rumcunq; Autorum Scriptis, ita in ipsis etiam Literis S., non unâ  
semper ratione Voces ac Sententiæ usurpantur: Qui hîc diligen-  
ter considerare nolit, utrùm aliquid *proprie*, num *Figurate*, an *in-*  
*sitate* dicatur; is verum Scripturæ sensum rarissimè assequetur,  
quin ad opiniones potius monstruosissimas declinabit, uti id ipse  
sufficiens & eleganter deducitur à Cl. Dn. D. Praside in Phil. Sob.  
P. II. Sect. II. c. 2. q. 10. can. 4. 3. Scopus principalis totusq; Contextus  
sunt duo quasi fontes, ex quibus rectè observatis verus Dicto-  
rum sensus eruitur; sicut Loca Parallela & media alia plura rivuli  
sunt, quibus mediantibus sensus idem genuinus facilius deduci-  
tur: Quorum omnium contemptores in manifestissima tandem  
errorum præcipitia agi est necesse.

## THEOREMA IX.

Vel sequuntur Lectionem, ut 1. Ingratitudo Partim sub-  
erga Deum. 2. Inobedientia. 3. Neglectus repetitionis. 4. sequa.  
Invidia, si qua didicimus, cum aliis communicare nolimus.

Post.



Post Lectionem deniq; absolutam, intelligentiam omnem absq;  
controversia planè deperdunt assignata capita quatuor. 1. Enim,  
Dictum est Veterum gravissimum: Gratiarum actio, est ad plus dandum  
invitatio. Si apud homines hoc militat, quantò magis apud  
Deum? Hic ergò sicut gratiarum actione ad plura nobis com-  
municanda bona largissimè incitatur: Ita cum sibi pro revelata  
Scriptura & illuminata mente gratias nullas referri videt; grati-  
am quoq; suam in posterum subtrahit, ac ingratum in tenebris  
atq; errore relinquit. Hinc inter alia Theologi boni requisita  
Syracides cap 39, 8. 9. 10. hoc quoq; numerat, quòd nimirum Spi-  
ritu intelligentiæ à Domino repletus, ut tanquam imbres sapien-  
tiæ suæ mittat eloquia; confiteatur Domino, qui postea ulterius consili-  
um atq; doctrinam ipsius dirigat. 2. Non sufficit hinc gratitudo  
verbalis, sed requiritur etiam realis, & obædientia ipsa Deo est  
præstanda: Unde qui è Scripturæ meditatione melior non reddi-  
tur; non habet, quod sibi de hausto ejusdem vero intellectu pro-  
lixè persuadeat. Nam quemadmodum in Philosophicis optimus  
ille censetur Philosophus Practicus, qui verba vertit in opera,  
seu, qui scientiam intingit in offam conscientia: Ita quoq; in Theolo-  
gicis; ne forsitan objiciatur illud Rabbinorum: Legem habere in man-  
tica parum prodest, nisi custodiatur in anima. 3. Summa laus & u-  
tilitas repetitioni, etiam cuicunq;, tribuitur in vulgato illo:  
Lectio lecta placet, decies repetita placebit. Potius de Scriptura id  
affirmamus, dicimusq;: Biblia lecta placent, decies repetita place-  
bunt. Cum enim animo nostro universa non statim infundan-  
tur aut subito pateant, sed sensim imprimantur, & successivè  
clareant; repetio crebra utrinq; multum efficit, & sensum tan-  
dem genuinum elicit, qui eadem intermissa semper occultus  
mansisset 4. Canina, imò Diabolica prorsus est invidia, veri-  
tatem à Deo donatam sibi unice mancipare, aliis totam denega-  
re velle. Præterquam enim, quòd Charitati Christianæ adver-  
setur; certè meliorem Scripturæ intellectum nimium quantum  
impedit. Qui docet, discit, in trito est Veriverbio. Itaq; qui hau-  
stum à se Scripturæ sensum aliis communicare detrectant; hoc  
ipso se eximio rei perceptæ magis elucidandæ beneficio temerè  
privant.

THEO.



## THEOREMA X.

III. Notentur Media tum diligentiae, tum verae intelligentiae, quae studiosè debent adhiberi.

*Media diligentiae sunt 1. Amor & desiderium veritatis. 2. Rectum de Scriptura iudicium. 3. Consideratio divini mandati, nostri officij, propria indigentia, utilitatis, jucunditatis, & exemplorum.*

1. Remotis *Obstaculis*, proxima porrò est cura de Scripturae Lectione ritè inchoanda & continuanda: Ideoq; merito dispicitur de *adminiculis Medijsq;* talibus, quae & in Lectione diligentiam foveant augeantq; , & lectae intelligentiam pariant conferantq; : Siquidem in propatulo est, quòd Lectionem diligentissimè etiam institutam, non continuo semper excipiat vera intelligentia, ob defectum aliorum, quae adhuc requiruntur, capitum. Quam ob causam de utriusq; Medijs distinctè est agendum, quae quidem facilè haberi possunt. Notis enim & cautis Impedimentis, contrarius saltem instituatur processus: Et Media statim vera sufficienter applicata erunt, ut ordine patebit.

2. Ac Media quidem diligentiae proposita per se satis patent, cum pleraq; ex instituendae & urgendae Lectionis Biblicae causis, superius in *V. Theoremate* enumeratis, sint concinnata. Fieri quippè vix potest, quin is, qui superius allata, *divinam Voluntatem, propriam necessitatem, dignitatem, jucunditatem & utilitatem Scripturae*, penitus consideraverit, ideoq; recto de Scriptura iudicio usus fuerit; Scripturae legendae avidissimè inhiet, coeptamq; Lectionem diligentissimè continuet. Imprimis ardor ac desiderium discendae veritatis caelestis, primum ac principale diligentiae acuendae est Medium. Hoc enim qui imbutus fuerit, facilimos in divino Scripturae studio faciet progressus. Oritur verò iste amor ex admiratione. Nam insignis rerum pulchritudo & efficacia est, quae parit admirationem: Admiratio postea parit studium cognoscendi. Hinc, quod *Aristoteles lib. 1. Metaphys. cap. 2.* ait, *Propter admirationem homines & nunc & olim coeperunt philosophari*: Id nos potiori ac meritissimo jure de Scriptura affirmare valemus, dicentes: Ex admiratione Scripturam S. mortales

III. Tenenda sunt Media Promotoria, Partim diligentiae.



contemplari aut fuerunt. Et sicut admiratio vulgò dicitur Philosophia origo: Ita non inconcinnius admirationem ac devotionem Principium dicimus Theosophia. Itaq; mirari subinde ac venerari pergamus Virorum Doctorum Lucubrations eruditas & utiles, quò exinde alacriores & avidiores reddamur ad Scripturam discendam ac meditandam.

## THEOREMA XI.

*Partim intelligentia, ut* Media vera intelligentia vel præcedunt Lectionem, *Eaq; Lectionem* ut 1. Ardens & fiducialem precatio. 2. Firma persuasio, sensum Scripturam non humanitus inveniri, sed divinitus dari, ut propterea non sit audienda carnalis sapientia. 3. Seria pietas & ad Deum conversio. 4. Docilitas conjuncta cum humilitate & certa persuasione, quòd sensus è Scripturis auferri, non in illas ex præconceptis opinionibus inferri debeat. 5. Aliqualis notitia Linguarum, 6. Notitia Doctrinae Catechetica primorumq; Fidei principiorum.

*Ut nimirum*

Præstita pro virili diligentia, non injuria à pio quovis peccatore vera desideratur intelligentia: Quæ sicut non solum ante Lectionem, sed & inter atq; post Lectionem impediri poterat; ita similiter adminiculis comparatur & conservatur, quæ Lectionis Biblicæ partim sunt anteaambula, partim socia, partim subsequa. Media ergò, quibus intelligentia etiam ante Lectionem facile impetratur, in Theoremate sunt dicta, satisq; in sequentibus ordine patent.

*7. Preces præmittantur.*

1. Non equidem perdi, sed optimè collocari id putemus tempus, quod emittendis ad Deum precibus impenditur. Patri cuiuspiam dictum est ingenuum: Se orando magis profecisse in Scriptura, quàm crebra lectione. Et quidni? Sunt quippè Preces Medicinam ad Scripturam intelligendam unicè necessarium. Donat cœlestis Pater Spiritum S. petentibus, Luca 11, 13. Hic autem Spiritus est veritatis, Job. 13, 26. qui ducit nos in omnem veritatem, Job. 16, 13. Veritatem ergò cœlestem discere satagimus? Invocemus illum, & revelabit: Sapientiam nobis conferri cupimus? Postulemus ab ipso, sine exprobratione dabit, Jac. 1, 5.

DEUM



DEUM nemo vidit unquam: Unigenitus Filius, qui in sine Patris est,  
 ipse enarravit, Iob. 1, 18. Si ergo mysterium à seculis & generatio-  
 nibus reconditum, Coloss. 1, 25. cognoscere avemus; oremus  
 illum, ut nobis revelare velit, Matth. 11, 25. 27. Lubenter no-  
 bis Patris nomen manifestabit, Iob. 17, 6. Precibus namq; o-  
 mnia impetrare, & vincere etiam invictum possumus, Luca 18,  
 1. 7. Ioban. 16. 23. Unde est, quod Origenes Homil. 12 super Exod.  
 respiciens ad Apoc. 5, 5. 6. scribit: Orandus est DEUS, ut veniat A-  
gnus & Leo de tribu Iuda, & Librum signatum aperiat. Proindeq;  
 peculiaribus hinc utamur Precandi Formulis, vel è Scriptura vel ex  
 Patrum Doctrina conceptis. Accedamus ad Dominum, ut doceat  
 nos vias suas, & ambulemus in semitis ejus, Esaiæ 2, 3. atq; oremus  
 cum Davide ex Psal. 119, 18. 19. 64. 66. 68. 73. Revela oculos meos,  
ut considerem mirabilia Legi tuae; non abscondas à me mandata tua;  
doce me justificationes tuas, &c. Suspiremus cum Salomone Sap. 9,  
 4. 10. DEUS Domine misericordie, da mihi sedium tuarum assistentem  
Sapientiam; mitte illam de cœli sanctis tuis, ut mecum sit & mecum  
laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Similiter ingemisca-  
 mus cum Hilario: JESU CHRISTE, nobis tribue verborum lumen,  
sententiarum veritatem. Dicamus cum Chrysostomo: Domine IESU-  
SU, aperi oculos meos, ut videam voluntatem tuam; nam in te spe-  
ravi, DEUS meus. Et cum Augustino ex lib. 1. Medit. cap. 1. Domine  
DEUS meus, da cordi meo te desiderare, desiderando querere, queren-  
do invenire, inveniando amare.

2. Si quis in sensu Scripturæ vero rimando proprio suo in- 2. Sensus  
 genio aliquid tribuere audeat; fieri aliter non potest, quin peri- Scripturæ  
 culosissime illum in S. Literarum cognitione errare oporteat: non infera-  
 Qui verò interpretationem Scripturæ legitimam non nisi ex di- tur, sed ex-  
 ctamine Spiritus S. hauriendam judicaverit, is demùm veram inde aufe-  
 impetrabit intelligentiam. Dominus namq; dat sapientiam, & ex ratum.  
 ore ejus prudentia & scientia, Prov. 2, 6. Quid nequius, quàm quod ex-  
cogitavit caro & sanguis? Syr. 17, 30. Non voluntate humana allata  
est aliquando prophetia, 2. Pet. 1, 21 Sit ergo sensus noster nil nisi  
Passivum, & CHRISTUS statuatur merum Activum, utpote  
sine quo nil facere possumus, Ioban. 15, 5. Is oratus, opera-  
bitur in nobis omnem sapientiam ad nominis sui gloriam.



proximiq; nostri utilitatem. Omnis siquidem nostra incavotus ex DEO est, 2. Cor. 3, 5: Neq; necesse habemus, ut aliquis doceat nos; sed sicut INCUBIO CHRISTI docet nos de omnibus, & verum est, & non est mendacium; & sicuti docuit nos, maneamus in eo, 1. Iob. 2, 27.

3. Pia vita agatur.

3. Timor Domini initium est Sapientia, Prov. 1, 7. & Non ingreditur mentem Sapientia pravam, Sap. 1, 4. Quisquis igitur sapientiam mentis veram exoptat, is Deum absq; hypocrisi timeat, & pietati absq; furo studeat, Syr. 1, 36. Filius Dei, Evangelium nobis ex sinu Patris enarrans, lux est, via, veritasq;, ad Patrem ducens, Iob. 14, 6. Pater verò ipse, in luce habitans inaccessibili, 1. Tim. 6, 16. trahit nos ad Filium, Iob. 6, 44. Spiritus S. ab utroq; procedens, docet nos omnia, optimaq; & saluberrima quaq; nobis suggerit, Iob. 14, 26. Ut igitur trahamur à Patre, ducamur à Filio, & erudiamur à Spiritu S.; non solum precum piarum thuribulo, sed vitæ etiam sanctæ sacrificio eos invitari ac retineri oportet. Spiritus est Deus, & eos, qui adorant illum, spiritu ac veritate oportet adorare, Iob. 4, 24. Ita q; ultrò relinquamus terrena, curemus tantum superna, Coloss. 3, 2. Deus lux est, & tenebrae in eo sunt nullæ, 1. Iob. 1, 5. Abjiciamus ergò tenebrarum opera, & induamus lucis arma, Rom. 13, 12. quò Deus Dominus nos illuminet, Psal. 118, 25.

4. Mens docilis & morigera offeratur.

4. Philosophi etiam & Magistri seculares docilitatem in Auditoribus suis requirunt: Quanto magis præditos eadem esse cõdecet, qui cœlestium Oraculorum sensum pernosse cupiunt. Talis in Maria, Domini matre, erat docilitas, quæ percepto Incarnationis Mysterio, non rimabatur amplius, sed simpliciter credebat, Angeloq; dicebat: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum, Luc. 1, 38. Imitemur hanc Mariæ docilitatem, & profunda Scripturæ Mysteria considerantes, suspiremus sapius: Servus tuus sum, ò Domine, fiat mihi juxta voluntatem tuam, mihiq; abundè sufficiet. Ex qua morigera mentis docilitate, facile postea prudens rationi sub Fidei obsequium captivitas, ingenuaq; cordis humilitas progignetur; quæ duo in Lectore pio nunquam abesse debent. Nam Scripturam S. cum legimus, nil aliud facimus, quam Deo nos sistimus, ipsumq; nobiscum loquentem, ac de Salute sempiterna nos erudentem audimus: Ita q; Majestatem divinam, coram qua Angeli etiam impuri, & facies suas abscondunt, Iob. 15, 15. Es. 6, 2. cogitantes, humilitatiq; studeamus, & cum Abrahamo



brabano Gen. 18, 27. pulverem nos cineremq; libentes fateamur. Sumus omnes vasa in magna Domini domo: Expurgemus igitur & evacuemus nos à curis bonorum corporalium, ut simus vas in honore, sanctificatum & accommodatum usibus Domini, ac possimus impleri oleo veri Scripturæ sensus, 2. Tim. 2, 20. 21. & 2. Reg. 4, 5. Sunt corda nostra Spiritus Dei in nobis habitantis Tempora, 1. Cor. 3, 16. Si volumus, ut hospes dignissimus gratum habitaculum veniens inveniat, illudq; suâ gratiâ repleat; videamus, ne profanemus, sed potius à curis secularibus diligenter munde-  
mus.

5. Verba nil sunt aliud, quàm vagina, in qua gladius Spiritus S. Ephes. 6, 17. repositus servatur: Si uti eodem cupimus; necesse est, ut illum è vagina extrahamus. Sunt verba & vocantur vulgò signa rerum notaq; conceptuum: Si res assequi & intelligere avemus, ante omnia genuinam verborum vim & valorem, adeoq; notitiam Linguarum aliqualem comparare nobis debemus.

5. Lingua probe intelligantur.

6. Deniq; Doctrina Catechetica initio magnam habet necessitatem, tum respectu CHRISTI, qui hanc ipsam Rudimentorum formam quasi insinuavit & commendavit, dum μεθοδικωτέραν Præcationis Formulam ordinavit, Matth. 6, 9. seqq. & totam Legem cum Propheta, hisce duobus Præceptis summis contineri dixit, Diliges Deum & proximum, Matth. 22, 37. seqq. Tum propter Hæreticos, quorum suspecta Dogmata semper veniunt ad eam examinanda; sicut Matth. 4, 9. 10. legitur CHRISTUS, ab Hæreticorum omnium Patre Diabolo ad Idololatriam sollicitatus, eundem falsitatis & perversitatis convicisse primo hoc Fidei nostræ Principio Deut. 6, 13. Dominum Deum tuum adorabis, illiq; soli servies. Mirâ deinde prostat dignitate & jucunditate, siquidem non est vulgaris aliqua aut rudior informandi ratio, sed eiusmodi institutionis forma, quâ prima Fidei Christianæ fundamenta, in certos Loco methodicè distributa, vivâ voce proponuntur & exponuntur, traditaq; postea arduioribus iterum exiguntur atq; examinantur: & ita nihil aliud, quàm eximia inter Præceptorem interrogantem ac Discipulum respondentem reciprocatio. Quæ juniores in Religionis fundamentis informandi consuetudo, Catechetica est vocata, à Verbo κατηχεῖν, quod significat audire, sonum ab alio accipere, docendo dictata re-  
poscere, behdren; & imprimis Ecclesiæ veteri fuit usitatissima.

6. Prima Fidei Elementa rectè sint cognita

Doctrina Catechetica.



Unde ibi Catechumeni appellabantur, qui Christiane Religionis  
Rudimenta addiscebant; & Catecheta, qui tali ratione propo-  
nebant. Ac demum insignem præstat utilitatem: Quam ob cau-  
sam Catechesis Veteribus dicta Tabularum Tabula, Orationum Ora-  
tio, & Potestatum Potestas.

## THEOREMA XII.

Vel circum-  
stantia;

Vel conjuncta sunt cum ipsa Lectione, ut

1. Debita attentio & meditatio, 2. Singularum Vocū & Phra-  
sium cōsideratio, 3. Scopi contextusq; observatio, Locorū similiū  
collatio, & aliorum Mediorum ad intelligentiam rectam fa-  
cientium usurpatio, 4. Solius sensus simplicis, nativè pro-  
prijq; investigatio, & ἀναίρεσις, si sit ille inventus, ne provo-  
letur ad aliora, ad Allegorias, Tropologias, & similia.

Cujusmodi  
sunt

1. Legitima  
intentio.

His nimirum universis, in ipsa Scriptura Lectione, vera ejus-  
dem intelligentia subinde accenditur, & continuè fovetur. Nam

1. Scripturas scrutari, non oscitanter aut animo peregrinante in-  
tueri, præcipit CHRISTUS Ioh. 5, 39. Verbum namq; Græcum  
ἀπειράειν, quo Salvator utitur, translatum est (uti Försterus in Thes.  
Catech. Dec. IV. Probl. 9. deducit) à metallicis aut fossoribus. Hi er-  
gò uti thesauros terra non ἐν τῷ πλάτει & propatulo, sed ἐν τῷ  
βάθει & abscondito inquirunt, & quidem non ἐπιπλάτως, sed  
ἀκρυβῶς: Ita quoq; juxta Clementem Alexandrinum, δεῖ τὰς γρη-  
γοῦσας ἀκρυβῶς διερευνᾶν, καὶ οὐκ ἐπιπλάτῃς ἀναζητῶσκειν. Quin  
& Apostolus Spiritu jubet fervere, Rom. 12, 11. & lectioni attendere, 1.  
Tim. 4, 13. Siq; in mundanis rebus, vel addiscendis vel acqui-  
rendis, nulli, etiam difficilimo, labori parcere solemus: Cur  
in divinarum rerum cognitione similem, imò majorem requiri  
attentionem, non judicemus?

2. Sedula  
verborum  
ἐπιπλάτῃς ἀ-  
κρυβῶς ἀνα-  
ζητῶσκειν

2. Sunt Verba nihil aliud quàm putamina, in quibus recon-  
ditus est Sapientie divinae nucleus: Frangat igitur putamen oportet  
ut ac verba expendat, qui nucleum esse vult, veramq; intelli-  
gentiam venatur. Sunt signa Mysteriorum divinorum: Intues-  
tur ergò diligenter signa, qui rem signatam miratur atq; rimatur.  
Sæpè enim Sententiæ alicujus obscurissimæ sensus genuinus ex  
unius Voculæ vi & valore convenienter elicitur ac desumitur,  
uti



uti monet CL. Dn. D. Praeses in Phil. Sobr. Sect. II. cap. 2. quæst.  
10. can. 3.

3. Verus verborum sensus aliunde convenientius non peti-  
tur, quam ex sola dicentis mente, totoq; Orationis Scriptivæ filo &  
contextu. Hic namq; ceu mensura est Dictorum omnium, nec  
patitur, ut verba latius extendantur, aut ad aliud minus inten-  
tum accommodentur. Unde iterum à CL. Dn. D. Praeside in quæ-  
st. modò citatæ can. 2. Maxima hæc ex Hilario lib. 4. de Trin. ponitur:  
Intelligentia dictorum ex sensu sumenda est dicentis. Quod in Testa-  
menti imprimis patet, in quibus semper sententia controversa  
ex Testatoris mente venit æstimanda. Geminum verò etiam propo-  
suit nobis Testamentum Testator DEUS: Sunt in eodem Dicta  
aliqua primo intuitu non satis clara? Tendamus ad DEUM, atq;  
ex ipsius mente, hoc est, ipso Scripturae contextu Lociq; Parallelis-  
mativum illorum sensum eruamus. Scopus insuper totius Scripturae,  
seu Veteris seu Novæ, unicus est Christus Servator, ille in unitate  
Personæ Ἰσαΐα 43., Act. 10, 43. qui mittendus in V. T. præ-  
nunciatur, missus in N. demonstratur: Ut ita Scriptura universa  
unico quasi Syllogismo constet, & ad conclusionem hanc unicam col-  
limet, JESUS EST CHRISTUS seu Messias promissus, Heb. 20, 31.  
cujus Majorem præmisit V., Minorem subjunxit N. Testamentum.  
Scopus hic maturè præfigatur: Et in apprehendendo vero Scri-  
pturae sensu raro aberrabitur.

4. In verbis Scripturae divinae simplicibus sensum esse augustiorem,  
ex Augustino habetur. Si ergò ex Scripturis verum illum simpli-  
cemq; sensum per Lectionem Cursoriam assecutus fueris, suffi-  
ciat sanè is tibi, nec rudior adhuc & imbecillioris judicij ad al-  
tiora Tropologiarum vel Allegoriarum cacumina provolare coneris,  
ne fortassis idem tibi accidat, quod in Fabulis Icaro. Cogite-  
tur Hieronymus, seipsum ea de causa in Comm. Sup. Obad. accu-  
sans, quòd nimirum juvenis Scripturam tentavit interpretari  
Allegoricè, cum sensum simplicem nondum intellexisset: Con-  
siderentur subinde exempla Origenis & Calvinianorum, qui sensu  
simplici plerunq; ceu leviusculo neglecto, ad Tropologica in o-  
mnibus ferè simplicioribus Dictis recurrunt, ut in Loco imprimis  
de Cena Domini patet; quos proinde si in errorum præcipitia rue-  
re contingat, mirum non est.

3. Scopi An-  
tecedentis,  
Consequen-  
tium, Pa-  
rallelorum,  
&c. probe  
percentis.

" S. Scriptura  
" unico qd est Syllo-  
" gismo.

4. Sensu  
simplicis de-  
lectio.

THEO.



## THEOREMA XIII.

Vel confes-  
quentia.

Vel sequuntur Lektionem, ut 1. Gratitude erga Deum. 2. Fidelis obedientia. 3. Crebra repetitio. 4. Candida eorum, quæ didicimus, cum alijs communicatio, & frequens de iisdem collocutio. 5. Constans propositum Lektionem quotidie continuandi.

Huc perti-  
nent

1. Ingenua  
gratiarum  
actio.

Hæc tandem sunt, quæ Intelligentiam, ante Lektionis exordium impetratam, in Lektionis actu natam & collatam, post Lektionem jam absolutam ritè conservant valdeq; roborant. Quippè 1. Quod Paulus Præceptum dedit generale 1. Thess. 5, 17. 18. Indefinenter orate, in omnibus gratias agite: Hæc enim est voluntas Dei per Christum Iesum erga vos; Id primariâ certè ratione in sacris laboribus valet. Summa est non æquitas tantum, sed necessitas potius, ut pro illuminatione, quâ Deus intellectum nostrum circa Scripturæ Lektionem beavit, gratiæ meritissimæ referantur, dicantur: Quin & ingens utilitas. Tanta namq; est Dei misericordia, ut cum videt animi grati testimonia, sua mox cum ubertate augeat dona: Et contrâ. Etsi enim laude nostrâ planè non indigeat, quippè quâ magnitudo ipsius nec augetur nec minuitur, Syr. 42, 23; omnia etiam, quæcunq; confert, ex sua gratia, non laudum nostrarum meritis, nobis exhibeat: Attamen sibi gloriam dari unicè mandat, Ier. 13, 16. illamq; alij concedere recusat, Esa. 42, 8. ac proinde iis, qui profectus acceptos soli diligentia, ingenio viribusq; proprijs asserunt, & hausta verbi intelligentiâ contra proximum superbiunt, graviter succenset, gratiam in posterum subtrahit, sensumq; reprobum immittit; contrarium mentibus gratis, & in vera humilitate dona concessa agnoscentibus, exhibere consuevit. Verum etenim est & manet D. Petri Effatum 1. Pet. 5, 5. Resistit Deus superbis, humilibus vero dat gratiam. Itaq; non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam, super misericordiâ tuâ & veritate, dicamus quotidie cum Psalte Psal. 115, 1.

2. Soria vita  
emendatio.

2. Hominibus quandoq; talis fit fucus, ut verbis gratiæ prolixæ agantur, opere ipso maledicta ingerantur. Verum non est Deus sicut homo, Numer. 23, 19. scrutatur corda & renes, Ier. 20, 12. ideoq; tale sibi γλαύκωμα objici non patitur, nec gratitudinem

eam



eam reputat, quæ magnificis peragitur verbis, nisi facta unâ re-  
spondere congrua deprehendat. Itaq; necessarium est, ut gratitu-  
dini verbali jungatur realis, & confessione linguæ præmissâ, sub-  
jiciatur continuò mentis obedientia. Turpe siquidem est, vo-  
luntatem Dei legere, & facere nolle: Sed & inutile, *Luc. 12. 47.*  
Dux sunt Partes Scripturæ divinæ: Lex, & Evangelium. Illa τὰ πρῶ-  
τα requirit: Hoc τὰ πρῶτα proponit. In utraq; cum meditamur,  
meditationes ipsa statim πρῶτες exprimere annitamur. Lex in-  
culcat Præcepta, proponit Interdicta: Facientes promissionibus dulcis-  
simis fovet, negligentes comminationibus gravissimis terret. Singula  
hæc ubicunq; legenti occurrunt, ibi mox ad usum transferan-  
tur. V. g. Præceptum vel interdictum aliquod cum offendimus;  
illud ipsum in individuo statim nobis etiam applicemus, nobisq;  
severè dictum cogitemus, ideoq; continuò, ac deinceps perpe-  
tuò vel efficere vel intermittere sedulo studeamus: ac similiter in  
cæteris quibuscunq; post Lectionem statim, imò in ipsa Scri-  
pturæ Lectione, applicationem semper in individuo faciamus.  
Evangelium tradit Doctrinam de CHRISTO, ejusdem Persona, Vita  
& Officio: Pari ratione omnia hæc, in Scripturis cognita, ad u-  
sum proprium absq; mora transferantur. Persona Fidem, Obedienti-  
am Vita, & Imitationem Officium in nobis excitet provocetq;. Sic  
demum verbo opereq; ipso reverà grati erga DEUM invenie-  
mur, & ulterius etiam necessariam Scripturæ Intelligentiam ab  
ipso haud difficulter consequemur.

3. Multi multa quidem quotidie legunt, sed parùm attendunt, 3. Assidua  
quo fructu id faciant, & num etiam lecta memoriâ firmâ tene- lectorum  
ant, unde postmodum retenta, si opus est, depromere rursus va- rumina-  
leant. Quam ob causam & omnem repetitionem planè negli- tio.  
gunt. Detestanda est consuetudo hæc, non æmulanda. Quod e-  
nim in Scriptura semel lectum; deinceps non negligi, sed sæpius  
relegi, subinde repeti oportet. Quibus Panacea aliqua domestica  
(uti vocant) contigit, illi eandem nunquam post se relinquunt,  
aut longiùs à se repositam esse committunt, sed perpetuò secum  
circumferunt, ut ea in quocunq; obveniente periculo salutari-  
ter uti queant: Scripturæ ejusmodi nobis est Panacea, medicina ani-  
mæ probata; si prodesse debet, non utiq; ex oculis longiùs est  
seponenda.



seponenda, non diutiùs relinquenda, sed subinde visitanda, cōsulenda. *Mundorum animalium* inter alias hanc etiam DEUS Proprietatem esse voluit, quòd videlicet *ruminare* debeant, *Levit. 11.3.* Sumus nos omnes, imprimis *Christiani, animalia DEI*, *Psal. 68. 11.* Ut mundi coram DEO reputemur, Proprietatem dictam imitemur, & diligenti LECTIone jam semel comesta, frequenti meditatione denuò repetamus, cordisq; ore subinde ruminemus. Id quippè nō potest nō esse nobis fructuosissimum. *Eadem enim scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est,* ait *Paulus Phil. 3. 1.* Est nimirum *Scriptura* seu *Petra Mosaica*, *Numer. 20. 11.* Non facile aquam doctrinæ mittit, nisi aliquoties legendo, repetendo & expendendo quasi percutiatur. Est *Mare*, cujus in hac vita profunditas à nobis non defini, nedum exhauriri potest. Unde ab *Ezechiele c. 47. 3. 4. 5.* præfigurata per *Rivum*, cujus aliquam partem *Propheta* usque ad talos, genua, renes pertransijt, reliquam ob tumorem nimium transvadare non potuit, Memori igitur semper tenendum mente *Lutheri* istud: *Cave, ne tadium ac fastidium quoddam legendi Scripturas S. tibi obrepat; alias nunquam ad frugem in Studio Theologico pervenire poteris. In legendis Scripturis nunquam nimis diligens fueris: Quæ diligenter legeris, nunquam nimis accurate intellexeris: Quæ probe intellexeris, nunquam nimis fideliter alios docueris: Quæ fidelissime docueris, nunquam nimis sedulo vitæ exemplo expresseris. Experto crede Ruperto!*

4. Benigna  
cognitorū  
communi-  
catio.

4. Candidam veritatis perceptæ communicationem ingenium quodvis liberale piumque meritò amat atque observat. Scit siquidem 1. *Talentum veritatis revelatae* sibi hac ratione concredutum esse, ut eodem plus lucretur, *Matth. 25. 27*: Scit 2. *Ex communi regula Matth. 7. 12.* fieri illud oportere: Scit 3. *Proximum* non negligendum, sed diligendum sicut seipsum, *Levit. 19. 18.* atque sic ignorantem quoque erudiendum esse, *Syr. 5. 14.* & *1. Thess. 5. 14*: Scit 4. *Peculiarem usum*, quem inde consequitur, quòd videlicet alium instruendo, deque acquisita modò scientia sapiùs cum alio conferendo atque colloquendo, eandem meliùs subinde addiscat, memoria firmiùs imprimat, faciliùsque deinceps retineat, ac si opus est, promptissimè semper reddat: Ac denique scit 5. Nihil magis à Deo compensari, quàm eam ipsam liberaliorem proximo factam communi-



municationem. NIL DEUS in nobis præter sua dona coronat. Dictū est Augustini. Certè & hic sapientiam illam qualemcunq; principiò concessam, fœnoriq; proximo collocatam, integrâ quasi sapientia & intelligentiæ uberioris coronâ postea DEUS ornabit & multiplicabit, quemq; in paucis cognovit fidelem, super multa constituet, Matth. 25, 21.

5. Tandem ut etiam primâ Lektionis institutæ vice non statim omnia sint intellecta; non tamen propterea continuo Scriptura abjiciatur, aut ejus meditatio animo desperabundo in posterum penitus omittatur: Potius vice alterâ diligentia major adhibeatur, eademq; si nondum succedit propositum, tertiâ quoq; quartâque vice indefinenter & cōstanter urgeatur, nec labori facilè ulli parcat. Ut namq; pulsanti non statim aperitur, nec arbor unico cadit ictu, sed sepius pulsandum cadendumq; est. Sic diversis & iteratis vicibus ad easdem difficultates explicandas est redeundum. Quod enim modo portare non possumus, id post Spiritus S. ductu & institutione, revelabitur, Hafenr in L. T. p. m. 136. Si ullibi, profectò hic labore temporeq; plurimo est opus: Non temerè a cœpta semel via est resiliendum, sed vestigijs minis claris pressius fortiusq; insistendum. Nemo, qui manu suâ aratro admotâ, respexerit à tergo, aptus est regno Dei, cœlestis ait veritas CHRISTUS Luc. 9, 62. Quomodo verò is, qui Scripturâ vix inspectâ & aliquantulum lectâ, mox propter leviculam aliquam difficultatem deficit, bonumque opus inceptum turpiter deserit, ad mysteriorum DEI intelligentiam quandam assequendam idoneus censeatur? Mementote uxoris Loth, Lucæ 17, 32. iterum CHRISTUS clamat. Ea post terga respiciens, in salis statuam vertebatur, Gen. 19, 26. Ita qui Lektionem Scripturæ semel inchoatam leviter interrumpunt, in statuas brutas commutantur. Per gradus ad superiora ascendere datur, non per saltus: Humi repente intellectu nostro sublimior est divina Scriptura; verus ejusdem si acquirendus est sensus, non subito in illam est profiliendum, sed sensim de gradu infimo ad proximè superiorem, à facilioribus ad difficiliora progrediendum: Siquidem, Augustino teste, illuminatio nostra non fit statim, sed paulatim. Non igitur unquam in suscepto Lektionis Biblicæ opere lassifiamus, sed strenuè pergamus, persuasum habentes hoc ipsum, quòd is, qui cœpit in nobis opus bonum, perseverans sit usq; ad diem IESU CHRISTI, Phil. 1, 6.

5. Crebra Lektionis iteratio.



## THEOREMA XIV.

IV. Tenen-  
dus est Mo-  
dus Lectio-  
ni contenu-  
ande e-  
ptinus.  
Qui con-  
sernit  
α. Biblio-  
rum Versio-  
nem.

IV. Notetur Modus, secundum quem Cursoria Scriptura Lectio debet institui. Sciendum hic est I. Quæ Versio legenda? Ubi Vernaculam vel Biblia Lutheri Germanica commen-  
damus.

1. Vidimus hætenus & percensuimus tum *monitoria* ad Lecti-  
onem Scripturæ assiduam suscipiendam, tum *preparatoria* pro  
eadem ritè instituenda: Consequens proximum est, ut tandem  
ipse Lectiōnis Biblicæ cursoriæ benè absolvendæ *modus* ostenda-  
tur; quod caput rei præcipuum. Si enim vel maximè rei alicu-  
jus cognoscendæ studio teneamur, nullâque ratione impediti,  
sed necessarijs ubique admniculis instructi simus; *modus* ta-  
men illius acquirendæ & possidendæ obscurus, nec plenè ac di-  
stinctè cognitus fuerit: Oleum operaque omnis frustra insumpta  
erunt.

3. Commodè verò hic & abundè percipietur ex sequentibus  
*distinctis* quinque Circumstantiarum diversarum *Questionibus*, quibus  
videlicet exponatur. 1. Quænam Versio sit legenda? 2. Quod-  
nam Versiōnis istius Exemplar sit adhibendum? 3. Quando Ex-  
emplaris illius Lectio sit instituenda? 4. Quis ordo in assum-  
pto Exemplari sit observandus? & 5. Quibus in lecto retinendo  
subsidijs memoria sit iuvanda?

3. Versiōnem igitur Bibliorum quod attinet; pro Cursoria Le-  
ctiōne Biblia nobis vernacula seu Germanica, & ea quidem, quæ à  
B. nostro Luthero sunt concinnata, omnibus alijs præferimus Pro-

1. us quidem, quia futurum Theologum & Concionatorem tum pu-  
blicè pro Concionibus Dicta Germanica allegare, tum privatim  
Auditores fidei suæ commissos (qui Linguam aliam præter ver-  
naculam non callent) agrotantes, vel alias pusillanimes, Dictis  
subinde consolatorijs informare atque sublevare oportet: Quas  
ob causas meritò Biblia Germanica familiaria sibi maturè  
reddit.

2. Posterius verò, quia Versiō Lutheri inter Para-  
phrases Germanicas varias, Tigurinarum, Piscatorii, Emse-  
niz &c. unica, quoad Fontes ipsos est accuratissima; quoad sensum  
clarissima.

Paraphrases Germa-  
nica Bibl.



clarissima maximeq; perspicua, & multorum instar commenta-  
riorum; quoad elocutionem Germanicam purissima, tersissima; quo-  
ad formam externam ita impressa & exarata ut per Literas Para-  
graphorum Initiales majores ipsam semper Partitionem capitis  
generaliozem exhibeat. Quo nomine non solum à Pientissimo  
Principe GEORGIO Anhaltino in comm. sup. Psal. XVI. maximope-  
rè est commendata, sed & ab infensis Lutheri hostibus singulari-  
ter approbata. Sturmius Calvinianus, & Luthero aliàs maxime in-  
imicus, vi veritatis adactus expressè scribit lib. 1. Exerc. Rhet. ad  
Philippum Comitem Lippianum p. 8. fac. 1. Lutherus annon quasi magister  
ortitit nostri Sermonis, sive puritatem consideres sive copiam? Principum  
Consilia, Civitatum Iudicia, Scriba omnes, omnes Legati ac ICTi Germa-  
ni hanc laudem homini tribuunt Theologo. Et post alia notabilia,  
subijcit: Credo, ut Apellem nemo legitur Pictorum superasse; ita ne Scri-  
ptorum quidem ququam Lutheri Versionem poterit vincere. Atq; hoc  
ipsum Translationis Bibliorum Germanicæ Opus primo tempore  
in tanto precio & existimatione fuit habitum, ut sicut olim (ex  
relatione Philonis in lib. de vita Mosis) quotannis illic locorum, ubi  
LXX. Interpretum Versio prodire cœpit, in tanta rei memoriã  
Dies Festus est celebratus; ita Bugenhagius D. (quem à Patria com-  
muniter Pomeranum appellitarunt) Diem istum, quo B. Lutherus Ver-  
sioni Germanicæ colophonem imposuit, cum Ecclesia sua dome-  
stica singulis Annis solennem egerit, nominans illum Festum Trans-  
lationis Germanicæ: Quin & Heshusius Lutheri Translationem ipsi  
LXX. Interpretum in V. T. Versioni præferre non dubitaverit.

Elogium Bibl. Germ.  
Lutheri.

Sturmius de Lu-  
thero.

Bugenhagii Festum  
Translationis Bibliorum  
Germanicæ.

## THEOREMA XV.

II. Quodnam Exemplar adhibendum? Ubi B. Versio-  
videtur Editio in quarto ob spatii marginalis amplitudinem, nis Exem-  
& propter Typos majores, omnium esse commodissima. plar.

Cum namq; Bibliorum Exemplaria sub varia, & præsertim  
triplici, proflent forma, tum maxima in Folio & Typorum augu-  
stiorum; tum mediocri, in quarto & Characterum sat magnorum,  
atq; elegantium; tum minori, in octavo & Scripturæ tenuioris atq;  
angu-



angustioris: Primo Exemplari propter caritatem & quantitatis inhabilitatem, non omnibus & ubiq; idoneo; secundum imprimis præstat, ob causas in Theoremate dictas: quippe quod non tantum à prima juventute, sed in sera etiam senectute, & visus acuminè multum remittente, commodè adhibebitur. Hoc siquidem propter memoriæ juvamen videtur consultissimum, ut unico perpetuò assuescamus Exemplari iisdemq; perpetuò Typis; nec in adolescentia, dum vegetior est visus, minutioribus Typis utamur, quos postea in senecta ob visus debilitatem agnoscere amplius nequeamus, & sic mutare, aliisq; majoribus nos assuefacere cogamur. Ubi tamen non est prætereundum, quòd Studiosum duobus instructum esse Exemplaribus expediat: Uno in Forma octava, alteroq; in quarta: Quorum hoc pro Lectione quotidiana & domestica est retinendum, quod interea dum anni accedant, diligenti tractatione ita notum reddi poterit, ut oculis etiam ætate nonnihil obfuscatis, Dictum desideratum manibus quasi palpari valeat; illud pro usu publico est habendum, ut si quandoq; ad Conciones admitti contingat, Textus ex eodem prælegi queant. Deniq; hoc etiam curandum, ut præ aliis Editionibus quamplurimis Wittebergensis unice comparetur; cujus consilii causas ipse princeps Autor Lutherus in Admonitione Bibliis præmissa exponit, his verbis: Ich wünsche/dasß ein ieglicher bedencßen wolt / das nicht leichtlich jemand anders solcher Ernst sey an der Biblia/ als uns alhie zu Wittenberg/ als denen zum ersten die Gnade gegeben ist/ Gottes Wort wider an den Tag vngefälscht vnd wolgeläutert zu bringen: Hoffen auch/ unsere Nachkommen werden in ihrem Nachdrucken eben denselben Fleiß daran wenden/ damit unsere Arbeit rein vnd vßlig erhalten werde. Cui spei & expectationi Beatissimi nostri Patris Lutheri abundè hæcenus, per Dei gratiam, hinc Witteberga satisfactum esse, experientia loquitur quotidiana.

## THEOREMA XVI.

III. Quo tempore instituenda Lectio? Ubi nihil certi prescribimus, nisi hoc unum, quòd à primis pueritiæ annis, & singulis Diebus una ad minimum Hora integra, siue matutina sit siue pomeridiana, Lectioni Bibliorum tribui debeat. Si quis adultior factus duas Horas huic studio assignaverit,

2. Exemplaris legendi Tempus.



Verit, nihil errabit, sed magnum breve tempore fructum  
sentiet.

1. Judæi hodiè ante 30. ætatis Annum exordij Geneseos, sicut &  
principij sinuq; Ezechielis Prophetæ, lectionem nemini permittunt, uti  
refert D. Hieronymus in Epist. ad Paulinum: Verùm nos de Tempore hoc  
in loco quærentes, non ætati, sed Diei Artificialis tempus intelli-  
mus, num videlicet antemeridianis vel pomeridianis Horis, ma-  
nè aut vesperi, Cursoria Lectio instituenda veniat? Nam ætatem  
quod attinet, quamcunq; sanè Lectioni huic idoneam judicam9.

2. Ex abundantia iis, quæ in Theoremate sunt dicta, adijcimus,  
quòd secundùm Chytræi in Catech. p. 9 consilium non peccaturus  
sit, qui Studia sua diurna Lectione Biblicâ inchoaverit, eadem eti-  
am finiverit. Ac proinde & manè post recitatas Preces, & ve-  
speri, antequam precandi officium suscipiatur, tempus Horæ, seu  
integræ seu dimidiæ, Lectioni Biblicæ impendatur: Sicut idem circa  
Meridiem post finitum prandium, à quo Studia de integro quasi  
repetuntur, ac post absolutas Preces Meridianas, non inutiliter  
fieri censemus. Hic enim ratione Diebus singulis ipsum Triho-  
rium integram, vel Sesquihora saltem, Meditationibus Biblicis de-  
putabitur; idq; non continuum & uno quasi haustu, sed vicibus  
Diei distinctis, ut repetitio subinde unà haberi, & Caput quan-  
doq; unum bis vel ter relegi queat: Adeoq; processu hoc per u-  
num duntaxat Annum rigide observato & continuato, quoniam  
secundùm vulgatum Versiculum, BIBLIA DIA LEGENS, VALET HIC  
pletate sacerdos, Capita nec plura nec pauciora quam (exceptis  
excipiendis) 1360. (aliàs in Germanica Lutheri Versione tantum  
sunt 1335.) in Bibliis universis continentur, & singulis quaternis, vel  
senis, vel ad summum octonis Hebdomadibus, tota semper Biblia à ca-  
pite ad calcem revolvi possunt; immensus Scientiæ Biblicæ ap-  
paratus facilimè impetrabitur, si quidem experientiæ institutæ  
propriæ hac fortassis in parte aliquid credendum venit.

3. Observandum hic insimul est, Finem, quem in legendis  
S. Literis observare solemus ac debemus, non unum & eundem  
omnib9 omninò omniq; tempore esse propositum, sed maximè ex-  
istere distinctum, eumq; potissimum duplicè: Partim Christiani omni-  
bus communè, partim solis Theologiæ studiosis proprium: illum vocamus

Ubi  
Partim su-  
perstitio  
Iudeorum  
reijcitur:

Partim  
speciale  
Lectionis  
tempus de-  
terminatur.

Miner.  
Capitula Biblioy.

1360.

1335.

Partim Rō-  
nis Lectio-  
nis duplex  
commemo-  
ratur.

Omnibus  
communis



*παιδείων, h. e. Moralem seu Affectuosum, quippe propter quem Lectio Biblica ita suscipitur, ut ex illa precum ardor eliciatur, devotio vera gignatur, & pietas sincera hauriatur: cui Fini assequendo itidem dicta tria Diei tempora, Matutinum, Meridianum & Vespertinum, destinamus; ea verò à prioribus distincta, inter Preces videlicet Biblicamq; Lectionem, de qua paulò antea dictum, intermedia aut Lectionem istam proximè subsequentia. Neq; sanè pro eodem totà Bibliorum evolutione est opus: Sed sufficit in Poëticiis semper hisce Libris, qui affectus maximè movent, ut Iob, Psalterio, Proverbiis, Sapiente, & Syracide, perseverasse, inq; iisdem unum alterumve caput vicibus singulis perlegisse.*

*Theologis proprius.*

4. Hoc autem in Fine Theologiæ Studiosus acquiescere nec potest nec debet, sed altero adhuc indiget, qui rursus est duplex: Διακριντικός seu Intellectualis; & Μνημονικός seu Memorialis. Ille spectat eo, ut accuratè Scriptura intelligatur; de quo in Lectioe Biblica Accurata tractabitur: Hic intentus ita, ut præcipua Dicta memoriae imprimantur, & copiosa Scientiæ Biblicæ suppellex acquiratur; pertinetq; præcipuè ad Lectioem nostram Cursoriam, atq; ex Theoremate & Paragr. 2. patet.

## THEOREMA XVII.

### IV. Quo ordine Libri Biblici sint legendi?

*d. Lectio-  
nis institu-  
ende or-  
dinem.*

*Ubi cum à facilioribus ad difficiliora secundum leges Methodi progrediendum sit; initium fieri debet à Libris Historicis N. T., ut sunt 4. Evangelia & Apostolorum Acta: Quibus evolutis legantur Libri Historici V. T., primùm Canonici, post Apocryphi: Subjungatur deinde Lectio Epistolarum Apostolicarum: Tandemque lectione librorum Prophetarum in V. & Apocalypsis in N. T. concludatur. Libri Psalmidici vel Poëtici, ut vocantur, manè & vesperi sunt evolvendi.*

Sunt namq; ex omnium confesso, Historica semper facilio-  
ra Libris Dogmaticis, Propheticiis putà & Apostolicis: Et inter utros-  
què postea istos, Novum T. ut Antitypus, complementum & elucidatio Veteris, facilitate præcellit: Ut ita indigitatus ordo observandus merito veniat. Ubi tamen non est dissimulandum, satis videri &

con-



concinnum & commodum, ut ordo is, qui in Bibliis ipsis observatus cernitur, in iisdem etiam perlegendis simpliciter teneatur. Ita enim & memoria rectius consulatur, dum non ita promiscuè hinc inde in Volumine Biblico est versandum, modò circa finem, jam circa initium, iterumq; in ipso fine, ac tum demùm in medio; & facilius notabitur numerus seriesq; tum Librorum Biblicorum, tum Capitum ipsorum in Libris singulis contentorum, opereq; ipso in singulis ordine paginis memoria quasi Localis comparabitur: Præsertim cum hoc etiam in modo, post Biblia semel evoluta, Novum T. in memoria quasi adhuc recenti hærens, T. Veteri, quod denuò inchoatur, deinceps perpetuo quasi præmittatur.

*Ordo qui in Bibliis ipsis observatur.*

1.

2.

### THEOREMA XVIII.

V. Quænam Subsidia Memoriam adhiberi possint?

Octo illorum numeramus potissimè. 1. Præcipua Dicta notentur subducta Lineolâ, ut in conspectu sint præ cæteris, & inveniri queant ed citius.

*6. Lectorum fidelem memoriam.*

*Quam conciliant*

Tantum scire solemus, quantum memoriâ valemus. Hæc verò cum in omnibus non sit eadem, nec semper existat tam prompta, ut quæcunq; oblata facilimè admittat capiatq; ; tam firma, ut recepta singula integrè semper ac perpetuò retineat atq; custodiat; tam certa, ut conservata & quocunq; tempore postulata, absq; defectu omni expedite exhibeat restituatq; : Propterea sicut in Scientijs alijs comprehendendis, ita in divinis quoq; Literis retinendis, penes Primariam & Naturalem Memoriam, Subsidiariam aliquam comparari plurimùm expedit. Quæ quidem ex octo Subsidijs sequentibus sufficientissimè extruetur. Ratio autem Consilij primi, ut in evolutionibus Auctorum aliorum quorumcunq; ; ita in Scripturæ Lectione, ex adjectis satis est manifesta.

*1. Insigniorum Oraculorum externa subductio.*

### THEOREMA XIX.

2. semper uno alterove vocabulo notetur Summa Capitulis, quæ scribatur supra ipsum Caput, ut spatium marginale maneatur purum, quò cum tempore in Lectione Accurata Partes Capitum in margine notari possint.

*2. Capituli Summarii.*

V. g. Ut Adminiculi hujus Exemplum apponatur, super Capite Genesios.

F

nesios.



neseos I. præfigatur *Creatio*; super II. *Paradisi descriptio & Conjugij institutio*; super III. *Lapsus & Protevangelium*; super IV. *Fraticidium & Familia Caini*; super V. *Ætates decem Patriarcharum*; super VI. *Hominum corruptio & Arca extructio*: Et sic porro tum per *Librum Geneseos integrum Summæ Caputum supra-*  
 1) notentur, quæ jam pridem à Reverendo *Dn. D. Gerharo in Meth.*  
 2) *Theol. pag. 155. seqq.* sunt consignatæ; tum similis per omnia Summarum continuatio per *Biblia universa* fiat.

## THEOREMA XX.

3. Genera- 3. *Valdè conducit ad memoriam & veram Textus intel-*  
lium quo- *ligentiam, si generalia quedam ante Libri alicujus Biblici*  
rundâ præ- *lectionem prænotentur, ut de Autore, de Tempore, de*  
sognitio. *Scopo, de Partitione, & similia: Quæ omnia, quantum*  
 1) *cyronibus sufficit, inveniuntur in Isagoge Biblica D. Pal-*  
 2) *ladij hic Wittebergæ recusa, & conjungantur Typi Methodici*  
*ab Alstedio propositi, dispositionem singulorum Librorum*  
*continentes, Lib. II. Præcognitorum cap. 15. Quoties ergo*  
*Libri novi lectio est incipienda, toties legatur de illo prius*  
*Isagoge Palladij, & imprimatur memoria Typus Methodi-*  
*cus Alstedij.*

Et de Typis quidem Methodicis notetur, quod suadet *Andreas Hyperius Lib. II. cap. 2. de Theologo*, illos videlicet mundè descriptos de *Musei parietibus commodè suspendi posse*, quò & oculis semper obversentur, & per continuum hujusmodi intuitum memoria faciliùs validiusq; imprimantur.

## THEOREMA XXI.

4. Librorum 4. *Adjungatur Oeconomia Biblica Trelocatij Junio-*  
& Caputum *ris, in qua non tantùm Librorum series & generalis disposi-*  
atque aliis di- *tio, sed etiam singulorum Caputum connexio & brevis qua-*  
spositio ac *dam Analysis lectu dignissima continetur.*  
resolutio.

De quo Trelocatio hoc est habendum, quòd *Oeconomiam* istam suam non compleverit, sed usq; ad XXI. duntaxat *Psalmum* continuaverit, ac postea morte præventus imperfectam eam reliquerit. Et quamvis aliàs *Sectâ Calvinianus* fuerit, utpote *Pro-*  
 fessor



seffor in Academia Belgarum Leidenfi: In hoc tamen ipsius Scripto <sup>Judicium de</sup>  
nihil admixtum deprehenditur falli aut suspecti; quam ob cau- <sup>Preleatio.</sup>  
sam studioso, in Controversijs Theologicis adhuc rudiori, ob-  
esse nullatenus poterit.

## THEOREMA XXII.

5. Adhibendi sunt etiam Versus quidam Memoriales, s. Memori-  
ubi uno alterovè vocabulo Capitis Summa innuitur, Capi- ales Versi-  
umq; series beneficio Metri facile imprimitur. culi.

Memoriales ejusmodi Versus duplici exarari Genere consue-  
verunt: Heroico vel Hexametro, uti sunt illi, qui à Palladio exhi-  
bentur; & Elegiaco seu Distichis, cujusmodi marce proprio pro cu-  
jusvis arbitrio facile componi poterunt: Interim cui alienâ hic  
uti operâ placuerit, is recurrat ad Memoriale Matthie Martini Bi-  
blicum, ex quo voti sui compos efficietur. Atq; ex hoc duplici  
Genere prestare videntur Elegiaci & posteriores, quoniam facilis  
memoriâ conservari queunt. Simul tamen connotetur, dari  
etiam Versus Memoriales alios, quibus non uno alterovè vocabu-  
lo, sed Versibus integris (sive similibus, Hexametris; sive di-  
versis. Hexametro & Pentametro), atq; sic plenius Capitis sem-  
per Summa proponitur; hâc præterea curâ adhibitâ providâ, ut  
per Literas Versuum Initiales, secundum ordinem Alphabeticum  
procedentes, numerus semper Capitis exactus indicetur: Cujus-  
modi habentur in Isagoge Biblica Johanni Huldrici Herlini.

## THEOREMA XXIII.

6. Si qui callent Artem Memorativam, eam utiliter ad- 6. Locandi  
bere possunt, præsertim in Libris Historicis, ut per loca & artificium,  
imagines recordentur facilius Dictorum Biblicorum: Quan-  
quam sunt, qui Tempus Locationi tribuendum rectius im-  
pendi posse autumant, nec omninò absq; ratione, si Textus  
ipse aliquoties perlegatur.

Ars Mnemonica imprimis diligenter tractata & sufficienter  
explicata habetur ab Alstedio in Systemate illo, quod inscripsit  
Mnemonicum. Eaq; ipsa præcipuum suum ac singularem habet u-  
sum in addiscendis ac retinendis ijs, quæ vix magna cum diffi-  
cultate apprehendi & imprimi possunt. V. g. Si quis cupiat



Nemina propria Regum Iudæ & Israël singulorum secundum ordinem exactè semper memorare; memoriâ is adjunctus Locali facilius potietur optato, quàm si Naturali tantùm memoriâ hæc in parte confusus fuerit. Sed quia plerunq; Artis hujus Memorativæ alumni, dum *vocabulis partialibus imprimendû* nimium uniceq; ferè inhærescunt, *res interim negligere atq; deperdere solent*: Ideò sedulò est animadvertendum, ut Artis illius usus parè adhibeatur, nec ex compendio fortassis dispendium fiat. Imò consultius omninò videtur, ut quis Naturali suâ potiùs Memoriâ qualicunq; & medioeri saltem, à Deo concessâ, gaudeat, quàm Locandi Artem operosiùs addiscat & circumspectiùs exerceat: Siquidem dum de Locatione lectorum commoda facienda prolixius cogitatur, lecta facilimè bis, ter & quater relegi, animoq; satis firmiter imprimi queunt; præsertim cum & objecto fortè fortunâ casu aliquo insperato, Memoriam istam Localem insigniter turbari contingat, nec eadem in quibusvis locis æquè facilè & promptè usurpari valeat, ut ejusdem periti inficias haud ibunt.

## THEOREMA XXIV.

7. Afidua  
semel co-  
gnitorum  
repetitio.

7. Nihil verò magis ad impressionem fortio-rem conducit, quàm crebrum repetitionis exercitium, quod singulis Diebus partim Contubernales partim Commensales p̄ inter prandendum & cœnandum instituant.

Quod ipsum Exercitium modo imprimis Veterum Catecheticorum, superiùs in XI. Theoremate indigitato, absolvi præstabit, ut videlicet alternatim atq; reciprocè sese invicem Collega examinent atq; informent, jam ille quæstionem instituat, hic responsionis officium habeat; mox contrarium fiat: Siquidem hæc ratione eadem Dicta, antea lecta, bis vel ter repeti audient, & quasi aliud agendo, amiceq; tantùm inter se colloquendo, avidè mox memoriâ imbibent & successivè imprimant, impressa ita perpetuò secum plenariè circumferent, & poscenti cuilibet promptissimè reddent.

## THEOREMA XXV.

8. Dictorum  
in Concio-

8. Quando Conciones audiuntur, Studiosus Theologia semper



semper secum habeat Exemplar Bibliorum Germanicorum, in quo, in quo & ante & post Concionem legat, interq; Con-  
cionandum, si quadam Dicta Emphatica vel minus nota ci-  
tari audeat, statim inquirat, verba ipsa perlegat, domi re-  
petat, ponderet, notet, atq; sic etiam hoc pacto Scripturam sibi  
subinde magis familiarem reddat.

Atq; haecenus de primo Scientiae Theologicae Generalioris  
acquirendae Medio, quod Lectio fuit Bibliorum Cursoria: Cujus in-  
stituendae Cause fuerunt sedulo indicatae, Obstacula caute remota,  
Adminicula fideliter subministrata, Modusq; sufficienter demon-  
stratus. Transeundum nunc est ad reliqua sequentia.

## THEOREMA XXVI.

SECUNDUM pro Generali Cognitione Theologiae II. Cursoria Librorum Symbolicorum Lectio.  
comparanda Medium, est Cursoria Librorum Symbolicorum Lectio.

1. Primario & Principali succedunt continuo Media Secundaria  
minusq; principalia, quae ad primum illud omnia diriguntur, inq;  
illius pleniore comparatione ac meliore elaboratione sollicitè  
occupantur. Suaeq; praecipue adhuc septem: Quorum tria priora  
vocari possunt Theoretica, & meditationem duntaxat congruam  
exposcentia; posteriora quatuor nominari queunt Practica, & prae-  
ter contemplationem sedulam, auscultationem quoq; devotam  
requirentia. Quae meditatione absolvuntur, in duplici rursus  
deprehenduntur existere differentia. Priora namq; duo sunt Syno-  
ptica, & compendiosam Articulorum Fidei cognitionem conci-  
liantia: Tertium Exegeticum est, & pleniorum Locorum singulo-  
rum enarrationem atq; evolutionem tam in Hebraeis quam Graecis  
communicans. E Synoptici unum Librorum Symbolicorum me-  
diocrem notitiam, alterum Compendij cujusdam Theologici ex-  
actam scientiam concernit.

2. Proximum ergo post frequentem Scripturae Lectionem Cur Libri  
Scientiae Theologicae Medium, est diligens Librorum in nostris Eccle-  
sijs Symbolicorum evolutio. Duplex enim in Ecclesia habetur Do-  
gmatum Fidei dijudicandorum Norma: Una primaria & princi-  
pali, Judicisq; auctoritatem obtinens, S. videlicet Scriptura, ad me sint co-  
quam gnoscendi.



quam ceu ad Lydium Lapidem Dogmata proposita quæcunq; simpliciter veniunt examinanda; alteraq; secundaria & à principali dependens, atq; ceu Testis officio fungens, rationemq; aperiens, quomodo singulis temporibus in Ecclesia Dei S. Literæ in Articulis controversis à Doctoribus explicatæ fuerint, quomodoq; Dogmata cum S. Scriptura pugnantia sint rejecta: Cujusmodi sunt Libri dicti Symbolici. Ut ergò in Foro publico legitimè constituto, autoritati Judicis Sententiam decernentis, Testis etiam fidelis adesse consuevit: Ita quoq; in Foro Theologico, post consultantem Scripturam S. ceu Iudicem, cognoscendi proximè veniunt Scripturæ ritè tum olim explicatæ tum porro explicandæ Testes, Libri nostri Symbolici.

## THEOREMA XXVII.

Circa hos Libros tenenda sunt quatuor.  
1. Observandum est ipsorum Nomen.

Notetur autem hic 1. Generale Nomen. Libri Symbolici communiter appellantur Formula Concordiæ, quoniam communis eorum approbatio & cunctorum Dogmatum juxta eosdem examinatio facit, ut vera in nostris Ecclesiis alatur & conservetur concordia.

2. Ut circa Lectionem Scripturæ Cursoriam, ita similiter ante Librorum Symbolicorum evolutionem præcognoscenda sunt capita quædam, ad meliorem eorundem intelligentiam usumq; maximè facientia: Nimirum 1. Quamnam & quibus de causis sustineant denominationem; 2. Quotnam etiam illorum ordine numerentur? 3. Quibus de causis diligenter illos cognosci oporteat? & 4. Quomodo istos percurri expediat?

2. Primum verò quod spectat, vocantur communiter Symbolici, à Voce Græca τὸ Συμβόλιον, quæ descendit ἀπὸ τῆς συµβάλλειν, h. e. committere atq; conferre; notatq; partim tesseram hospitalem, ex ligno vel metallo factam, quam qui olim dimidiatam, prout data fuerat, afferebat, continuo agnoscebatur, & contractæ dudum necessitudinis ac hospitalitatis jure, hospitio excipiebatur: partim tesseram militarem, siue Sententiam aut Dictionem certam, militi-

Vocantur namq; Tum Symbolici:



militibus à Duce præscriptam, de qua interrogatus aliquis, conti-  
 nuò seipsum hostem vel socium prodat, Germanis die zosing:  
Partium παρομιλου in medium collatam, seu sententiosam collatio-  
 nem, à pluribus in commune factam; sicut olim ad Convivia  
 Græcorū & Latinorum nemini hospitem absq; ejusmodi Sym-  
 bolo accedere licebat, nisi αοιμβολα vocari vellet. Inde trans-  
latum est vocabulum ad Ecclesiam, cujus significat certam aliquam  
tesseram seu Librum Confessionarium, seu ejusmodi Doctrina & Sen-  
tentiarum Symbolum, per quod Christianus ab Hæretico manifestè  
distinguitur. Sic igitur uti in Militia Mundana, ubi & armorum  
 habitus par, & sonus vocis idem, & mos unus est, atq; eadem in-  
 stituta bellandi; ne qua doli surreptio fiat, tessera bellica habetur,  
 cujus observatione rigida hostis à socio facilimè dignoscitur: E-  
 àdem ratione in Militia hac nostra Christiana, Libri isti Symbolici  
 sunt tanquam tessera, quæ Ecclesiæ nostræ separantur non tantum  
 à superstitiosa Gentium barbararum & infidelium turba, atq; à per-  
 versa Judeorum calumniantium Synagoga; sed etiam tum à Cœtu  
Pontificio, Traditionibus humanis innixo; tum à Cohorte Sacramen-  
taria, Rationis suæ arbitrio ducta; tum à quorumvis Enthusiasta-  
rum caterva, revelationes per insomnia factas temerè crepante,  
 Symbolo haud obscuro segregantur.

3. Deinde verò iidem Symbolici Libri nomine quoq; Formu-  
le Concordiæ sæpissimè insigniuntur. Ubi quidem tenendum, du-  
pliciter Formulam Concordiæ hodiè sumi: Quandoq; speciatim,  
pro illa XI. istorum duntaxat Articulorum, ab Augustanæ Confessio-  
 nis Theologis in litem aliquando productorum, Epitome ac Decla-  
ratione, Anno 1580 publicata & Confessioni Augustanæ ejus-  
 demq; Apologiæ adjecta, ut ex sequente Theoremate clarescet; quan-  
doq; generatim, pro tota Librorum Symbolicorum omnium comprehen-  
sione, ut in proposito Theoremate habetur notatum. Atq; hoc ipsum  
 Nomen toti Librorum illorum Compagi rectissimè competere  
 videtur, ad quascunq; sanè ejusdem Causas respiciatur. Formula  
 enim ea existit Concordiæ tum Efficienter, quippe à præclaris Ec-  
 clesiæ Doctoribus, non dissentientibus Doctrinæ calculis, sed cō-  
 cordibus Sententiarum suffragiis concinnata: Tum Materialiter,  
 utpote eandem & consentientem ubiq; exactè de Articulis Fidei  
 Doctri-

Tum Formula  
 Concordiæ.

Exce  
 sumit dupliciter  
 1.

2.

Formula illa Concord  
 recte ita dicitur.

1.

2.



3. Doctrinam in se continens: Tūm Formaliter, tanquam optimā  
materiarum omnium serie & cohærentiā constans, ubi prima  
præcedunt, orta sequuntur; Confessio impugnata, Apologia suā  
munitur; Articulorum Controversorum Epitome proponitur,  
eiq; Declaratio subjungitur: Tūm deniq; Finaliter, concordiam  
nimirum in Ecclesia gratam firmans atq; conservans, ut in Theo-  
remate dicitur.

**THEOREMA XXVIII.**

II. Notetur Numerus & Ordo Librorum Sym-  
bolicorum. Continentur autem in ista Concordia Formu-  
la 1. Tria Symbola Catholica sive Oecumenica, ut Symbolum  
Apostolicum, Symbolum Nicenum, Symbolum Athanasianum.  
2. Augustana Confessio, constans XXI. Articulis, & recen-  
sens VII. Abusus Papisticos. 3. Apologia Confessionis Augu-  
stane. 4. Articuli Schmalcaldici vel Schmalcaldie exhibiti,  
& subscriptione multorum Theologorum approbati: Quibus  
annexus est peculiaris Tractatus de Primatu Papa, per Theo-  
logos Schmalcaldie congregatos Anno 1537. conscriptus. 5.  
Lutheri Catechismus uterq; Minor & Major. 6. Epitome  
& Declaratio Articulorum XI., de quibus Controversie orta  
sunt inter Theologos Augustane Confessionis; quæ Epitome &  
Declaratio speciali nomine nonnunquam appellatur Formula  
Concordie. 7. In fine additus est Catalogus Testimoniorum  
Scripturæ & Antiquitatis, de Majestate Carnis Christi, ad  
dexteram Omnipotentis Dei exaltatæ.

Libri Sym-  
bolicæ præci-  
pui sunt sex  
1. Sunt itaq; sex principales Libri Concordie Partes: Videlicet  
Symbola, Confessio Augustana, Apologia, Schmalcaldici Articuli, Cate-  
chismus geminus, & Concordia Christianæ Formula specialiter ita vo-  
cata; quibus accedit Epilogi loco Consensus Scripturæ & Antiquita-  
tis. Quarum Partium Methodus congrua hâc inductione patet.  
Sunt nimirum Partes aliæ ab Ecclesia Antiquiore constitutæ, ut 3.  
Symbola: Aliæ ab Ecclesia recentiore conceptæ. Hæ sunt duplices:  
Primæ & Originales, circa tempora Evangelij renascentis, ante  
Lutheri obitum propositæ, & quidem vel Polemica, partim in Co-  
missijs



mitijs Augustanis, quib; pepererunt tum Confessionem tum ejusdem Apologiam: partim in Conventu Schmalcaldensi, quo exarati sunt Articuli Schmalcaldici; vel Dogmatica, ut uterq; Lutheri Catechismus: Et ex Primis Ortibus seu Occasionales, post Lutheri mortem ab Orthodoxis quibusdam confectæ & adjectæ, quales sunt Articulorum Controversorum & Epitome & Declaratio.

2. Primum Libri Concordiæ Caput & præcipuum, tria existunt Symbola, vulgò καθολικά dicta & Οικουμενικά, quasi Universalia & Mundana, seu in toto Orbe habitato manifestata: απὸ τῆς καθόλης, quod est universe seu generatim; & τῆς Οικουμένης, quæ Orbem habitabilem significat. Quam quidem suam Universalitatem minime habent absolutam, quasi omnitempore in toto terrarum Orbe accepta fuerint atq; probata: Sed respectu tantum eamq; partim Externam, respectu loci, temporis & personarum, quoniam omni loco (successivè, non simul) innotuerunt, omni tempore in Ecclesia Dei (quocunq; sane in loco latuerit) sonuerunt, & ab omnibus in eadem Fidelibus recepta fuerunt; partim etiam, & multò sanè magis, Internam, quippe quæ Universalis semper Doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ, in totum Orbem sparsa, ὁμόψηφα & consentanea præcisè extiterunt, h. e. verè Orthodoxa judicata fuerunt.

3. Horum Symbolorum alia sunt Principalia, & κατ' ἐξοχήν Symbola dicta, ut est Apostolicum: Alia minus principalia, & nihil aliud nisi primarij repetitio & declaratio, ut sunt duo reliqua, Nicenum & Athanasianum. Symbolum secundum excellentiam sumptum nominatur Apostolicum, duplici de causa: Vel propter Materiam subjectam, quia videlicet (juxta August. serm. 181. de Tempore, & L. 1. ad Catech.) summam complectitur Doctrinæ Apostolicæ, eidemq; ceu firmissimo suo fundamento innititur: Vel propter causam Efficientem, quia secundum nonnullos (ut Ruffinum, Ambrosium, Hieronymum, & Augustinum serm. 115. de Tempore) ab Apostolis ante suam ad Gentes abitionem compositum, & per manus quasi Ecclesiæ traditum putatur; unde & aliquibus ἀπὸ τῆς οὐρανόθεν seu à conferendo nomen accepisse censetur, & juxta numerum Apostolorum in XII. Articulos distribuitur, quoniam ab Apostolis singulis singuli sint collati Articuli. Videatur Försterus in Thes. Catech. Dec. IV. Probl. 2. Etsi verò nonnulli

Quæ univ-  
cupantur  
Catholica  
& Occume-  
nica.

Et horum  
unum est  
Principale  
Apostolicum:  
Causa dicta  
1.

2.  
An ab Apostolis  
compositum.



nulli contendant, istud non ab Apostolis, sed à Niceni Concilij Pa-  
 tribus conscriptum esse: Eorum tamen sententia ex eo redargui-  
 tur, quòd Irenæus & Tertullianus, Concilio Niceno multò anti-  
 quiores, Symboli illius mentionem non semel injecerint. Ire-  
 næus lib. 3. adv. Heret. cap. 4. Apostolica Traditionis nomine illud com-  
 mendat: Tertullianus de Præscript. adv. Heret. Canonem ac Regulam  
 Fidei hoc Symbolum esse asseverat: Augustinus serm. 135. de Temp.  
 de eodem affirmat, quòd sit Regula Fidei, numero verborum brevis,  
 Sacramentis & pondere sententiarum grandis. I Dividi plerunq; con-  
 suevit in tres Partes sive Articulos, secundum tres Divinitatis  
 Personas, seu tria etiam singularia Beneficia Generi humano  
 exhibita: Videlicet I. De Deo Patre seu Creatione, II. De Filio  
 seu Redemptione, & III. De Spiritu S. seu Sanctificatione. LA qui-  
 busdam duæ tantum ipsius Partes generaliores constituuntur:  
 2. Hæreticis scilicet seu Propositio, comprehensa verbis, Credo in  
 DEUM Patrem Omnipotentem; & Διήγοις seu specialis Articulo-  
 rum singulorum enarratio.

4. Alterum Symbolum Catholicum, dignitate Apostolico  
 proximum, est Nicenum, in Synodo Oecumenica Nicena, Anno  
 Christi 325. compositum. Fuerunt equidem quatuor ejusmodi  
 Synodi generales seu Concilia Oecumenica: I. Nicenum, in Bi-  
 thyniæ Urbe Nicea celebratum, sub Imperatore Constantino, Ma-  
 gno, & adversus Arrium institutum; II. Constantinopolitanum, An-  
 no Christi 381. sub Imperatore Theodosio Seniore, Constantinopoli  
contra Macedonium convocatum, & præsentia Episcoporum 150.  
 nobilitatum; III. Ephesinum, Anno Christi 431. sub Impera-  
 tore Theodosio Juniore, Ephesi contra Nestorium à 230. Episcopis, in-  
 ter quos præcipuus Cyrillus Alexandrinus, celebratum; & IV.  
 Chalcædonense, Anno Christi 451. sub Imperatore Martiano, Chal-  
 cædone in Bithynia adversus Eutychen ab Episcopis 630. institutum:  
 quorum singula suis claruerunt Symbolis seu Fidei Expositionibus, ad-  
 versus Hæreticos dictos promulgatis: Ex illis tamen omnibus  
 primum ac præcipuum est Nicenum istud, cui 318. Episcopi in-  
 terfuerunt, cujus postea Symbolum etiam tanquam verè Ca-  
 tholicum singulariter semper est observatum, ita quidem ut re-  
 liquorum trium Conciliorum Oecumenicorum Symbola, non  
 fuerint

Symb. Agg. Cæcypios

1.

2.

Symb. Nice-  
 num. Reliqua  
 duo minus  
 principalia,  
 325. Partim Ni-  
 concium;  
 concilia  
 concilium ad  
 Constantinopolit. A. 381.  
 ad. Maced.

Ep. Ephesum. A. 431.  
 adv. Nestorium.

Chalcædonense. A. 451.  
 adv. Eutychen.



fuerint composita tanquam à Niceno diversa & peculiaris, sed tantum ut Niceni nova quædam approbatio & confirmatio. Hujus Symboli Autorem Athanasius facit Hosium: Fuitq; in illo imprimis Deitas Filij aduersus Arrium asserta.

Symb. Niceni Autor  
Hosius.

5. Tertium deniq; Symbolum Oecumenicum est Athanasianum, de cuius sive tempore sive Autore certi quippiam determinari non valet. Communis Patrum Opinio est, ab Athanasio Episcopo Alexandrino esse conscriptum, posteaq; in Synodo Alexandrina Anno Christi 371. approbatum, & ab Ecclesia Catholica receptum, indeq; Athanasianum vocatum: Unde B. ipse Athanasius Epiphano Pater Fidei recte cognominatur; Nicephoro Lumen Ecclesie & Oraculum Orbis dicitur. Sed rationes dubitandi prægnantes non desunt. Nam 1. In antiquis Athanasij Scriptis non reperitur. 2. Nec Nazianzenus, nec Metaphrastes nec alius quispiam αὐτῶν, ejusdem meminerunt. 3. Occidentales istud imprimis exposuerunt, non Orientales; qui tamen id imprimis facturi fuissent, si Athanasium Orientalem illius Autorem scivissent. 4. Camerarius in Catech. pag. 297. observavit, quod in Symbolo hoc Athanasiano diligenter distinguantur Termini ἰσθια & ὑπερσθια, quibus Athanasius alias promiscue utitur. Nonnulli, e quibus est Baronius, putant illud conscriptum esse Roma, & quidem in Lingua Latina: Quod tamen figmentum merum apparet. Partes Symboli hujus rectissime constituuntur quatuor. 1. Πιστις 1. οἰσιον, Quicumq; vult salvus esse, &c. 2. Θεογνωσια seu Notitia 2. Dei, Fides autem Catholica hæc est, &c. 3. Χριστογνωσια seu cognitio Christi, Sed necessarium est ad eternam, &c. & 4. Συμπε- 4. πνευμα, Hæc est Fides Catholica, &c.

Partim &  
athanasia-  
num.

1  
2  
3  
4  
Non est script. ab Atha-  
nasio.

Baronij iudicium de  
hoc Symbolo.

Eius Partes.

6. Post Libros Symbolicos Ecclesie Antiquioris, succedunt Recentiores, qui Ecclesie Evangelicæ Lutheranae imprimis proprii existunt. Ubi primo se offerunt loco ij, quos diximus Originales, qui videlicet Libri Concordiæ prima quasi origo extiterunt: Suntq; tum Polemici, tum Dogmatici. Polemici sunt, qui Controversias Religionis nostræ pertractant, atq; à duplici, in quo exhibiti ac promulgati fuerunt, Loco denominationes suas acceperunt: Nempè Confessio Augustana ejusdemq; Apologia, & articuli Schmalsaldici.

Vel Recen-  
tiores.

Horum  
Alij Origin-  
ales, ut  
Aut Pole-  
mici;



Inter quos 7. Confessio Augustana est Symbolum publicum quarundam Germaniæ Ecclesiarum, de præcipuis Religionis capitibus ex Dei verbo conscriptum & approbatum, Augustæq; Vindelicorum Anno Christi 1530. in Comitibus Imperialibus CAROLO V. Imperatori exhibitum, ad reddendam Fidei rationem & Adversariorum calumnias refellendas. Ubi præcipue notabile, cur Confessio, & quidem Augustana dicatur. Congruè autem & verè Confessio est nuncupata, quoniam sicut Confessio quoad etymon, non est unius hominis privati factio, sed quasi Confessio, seu plurimum hominum communis, unanimis publicaq; confessio: Ita ipsa quoq; à pluribus Imperii Ordinibus Germaniæq; Ecclesiis, unanimi voce & consensione, in publico Imperii confesso instituta & edita fuit. Intelligitur autem hoc in loco Confessio, non Laudis seu Gratiæ, quæ Deo pro concessis beneficiis gratiæ aguntur, qualis intenditur Psal. 105. 1. & Matth. 11. 25. nec Fraudis (ut Augustino vocatur) seu Peccati, quæ peccata Deo ingenuè proponuntur, cuiusmodi reperitur Psal. 32. 5. sitq; tum Deo, tum Pastori, tum Proximo: Sed unice Religionis seu Fidei, quæ testimonium Doctrinæ hætenus assertæ & defensæ dicitur, quæq; innuitur Matth. 10. 32. & 1. Tim. 6. 13. Deinde vero Confessio illa cognominata est Augustana, non tam quoniam augusta sit & insignis, Doctrinæq; & Scriptis Augustini omniò existat; quam potissimum & unice ab Urbe Imperiali, Augusta Vindelicorum, ubi Anno 1530. Die XXV. Junii, qui tum Sabbati fuit, Horâ serè tertiâ pomeridianâ, in Palatio Caesaris Aulae Episcopi Augustani, à D. Christiano Beyero, El. Sax. Cancellario, clarè prælecta posteaq; protestantium manu subsignata, Imperatori CAROLO V. exhibitæ fuit: Non aliter atq; Symbolum Nicenum à loco, in quo promulgatum fuit, denominationem suam est sortitum. Illius Autores fuerunt ordines quidam Imperii, ut Electores & Principes nonnulli, ac Senatus duarum Civitatum Imperialium; qui Protestantium tunc nomen acceperat, eò quòd omnes fuissent protestati contra Edictum in Conventu Spirensi Anno 1529. promulgatum adversus Religionis Lutheranae Exercitium: Scriptores extiterunt D. Martinus Lutherus, qui acceptâ à Collegis commissione, initia & fundamenta ejusdem posuit, consignatis Articulis XVII. qui habentur Tom. V. Ien. Germ. fol. 14. 15. 16; & Philippus

7. Cur dicat Confessio

Triplex Confessio  
1. Laudis.

2. fraudis.

3. fidei.

Cur Augustana.

25. Junij  
h. 3. Jan.

Autores.

Non cu Protestantium  
inde.

Scriptores.



lippus Melanchthon, qui Articulos à Luthero consignatos fufius enarravit, atq; uberius declaravit, & ita augustiffimam illam Confessionem Augustanam concinnavit. De qua plura legentur in *Prolegomenis celeberrimi Theologi Dn. D. Meuzeri.*

8. Alterum locum in hoc Librorum Symbolicorum genere, *Augustanae Confessionis Apologia* occupat: Cujus origo sic habet. Cum Confessio ista Protestantium publice audita, & Pontificiis Principibus communicata esset; quidam ipsorum Theologi Monachiq; , inter quos primi fuerunt *Johannes Faber & Eccius*, illius *Confutationem* adornarunt, cui & ipsi in Confessu Principum publico prælectæ, Protestantes assensum præbere sunt jussi: Quod quia extra conscientiaë scrupulum facere non poterant, exemplum *Confutationis illius* petierunt, quò cognitæ Adversariorum Objectiones refelli valerent. Cumq; hoc ipsum nequaquam impetrarent, sed obstinatè semper ad *Confutationis approbationem* urgerentur: Protestantes à Melanchthone & quibusdam aliis *Apologiam Confessionis succinctam & perspicuam* parari postularunt, in qua & causæ assensus recusati exponerentur, & Adversariorum fuci detegerentur. Quæ *Apologia* etsi à Cæsare, cui *XXII. Septembris* *Anni ejusdem 30. supra sesquimillesimum* est oblata, recepta non fuit: Postea tamen à *Philippo* est *revisa*, plurimisq; in locis auctior facta; & *Anno* tandem 1533. *Confessionis Augustanae Apologia* Typis publicis eâ, quâ hodie prostat, formâ prodit, ipsiq; *Confessionis* accessit. De quibus omnibus fufius describit ipse *Philippus* in *Apologiae Præfatione*, & *Sluidanus* *Comment. Lib. VII.*

9. Ultimum in proposita Librorum Symbolicorum Polemicorum Classe Scriptum, sunt *Articuli*, tribus distinctis Partibus exhibiti, à *Schmalcaldia*, Urbe crebrioribus Protestantium Conventibus celeberrimâ, in qua præcipuis Augustanae Confessionis Theologis propositi sunt atq; ab iisdem comprobati, *Schmalcaldici* dicti. Nam cum Papa Romanus. *Paulus III. Anno 1537. Concilium Mantuae circa Pentecosten* celebrandum indixisset; *Electores Saxonie* *Luthero* injunxit, ut Articulos Doctrinae Evangelicæ potiores conscriberet, quò si fortè Protestantibus quoq; ad Concilium comparandum foret, omnibus tempestivè brevibusq;

Tam Confessionis Apologiae Orig.

26. Sept.

Tum Articuli Schmalcaldici.

A. Roggen.



constaret, in quibus Capitibus cedi Pontificiis posset, & in quibus perseverare necessum esset. Lutherus igitur Articulos ejusmodi conceptos, in Conventu Theologorum Schmalcaldensi Mense Februario exhibuit; à quo etiam fuerunt recepti & approbati, nominisq; id, quod hodieq; tenent, adepti: Sicut & ab iisdem Theologis Schmalcaldiae tum temporis congregatis, Appendix illa de Primatu & Potestate Papae concinnata fuit: Prout ista omnia in ipso Concordiae Libro (Formae 8væ p. m. 298. 300. 340. 356. & 358.) satis patent, & à Bucholcero in Chronol. commemorantur.

Aut Dog-  
matici, ut  
uterq; Ca-  
techismus.

10. Et isti quidem sunt Libri Ecclesiarum nostrarum Symbolici Originales, quos vocavimus Polemicos: Succedunt Dogmatici vel Catechetici, qui prima Fidei nostrae fundamenta ac rudimenta simpliciter atq; nervosè continent & proponunt, cujusmodi est Catechismus Lutheri geminus, cum Minor & simplicior, tum Major, pleniorq; & accuratior. Quae quidem Scripta duo, non temerario quodam & inutili proposito prioribus superaddita, sed propter necessitatem manifestissimam à B. nostro Luthero conscripta fuerunt. Cum enim Anno Christi 1527. deliberatio de prima Ecclesiarum in Electoratu Saxonico Visitatione (de qua peculiaris Libellus Latinus à Philippo editus extat) suscepta, ipsaq; postea Visitatio Anno 1528. post coeptam Reformationem XI. à Luthero ipso aliisq; ejusdem καρπύταις instituta esset; crassam deprehendit Lutherus non tantum Laicorum, sed & Clericorum in Doctrina Christiana ignorantiam. Quà commotus, deq; remediis ipsi apparendis cogitans, Anno 1529. Mense Januario, Minorem Catechismum simplicissimè ac brevissimè tractatum edidit, eiq; continuo Mense circiter Octobri subjunxit Catechismum Majorem, seu uberiorem Minoris expositionem. Videatur ipsa Lutheri Praefatio Catechismo Minori praemissa. Partes uterq; Catechismus habet quinq;. Videlicet Decalogum, Symbolum Apostolicum, Orationem Dominicam, Baptismum & Sacram Domini Coenam. Ad quas nonnullis placeat accommodare Dictum Apostoli 1. Cor. 14, 19: In Ecclesia volo πέντε λόγους, seu quinq; verba, mente meâ loqui, ut & alios instituam.

Necessitas Confessionis  
utriusq; Catechismi  
Lutheri.

Visitatio - 1528.

Aequum Catech.  
in d. f. & c.

Minor Catechismus primus  
editus Mense Janu. 1529.

Maior M. Octobr.

Alii Occasi-  
onales, Episcopi  
rome nimirum  
& Declaratio XI.  
Articulorum

11. Deniq; Libri Symbolici ex prioribus Orti & Occasionales sunt, qui occasione Controversiarum post obitum B. Lutheri (cum quo, ipso Concordiae Die, concordia quasi omnis è terris

Anno



Anno 1546. expirasse videbatur) de Librorum priorum Articulis aliquibus motarum, concinnati, & cum prioribus omnibus conjunctim in Volumine uno, sub Titulo *Libri Concordia* editi fuerunt. Cum enim Anno statim 1553. & seqq. pluribus, frequentes subinde de quibusdam Articulis inter ipsos Augustanae Confessionis Theologos moverentur controversiae; Pientissimus tandem Elector Augustus, ne Ecclesia porro magis magisque distraheretur, sed concordiam cunctis desideratam frueretur, allaborans, Anno 1576. sex Theologos celebriores, meritisque erga Ecclesiam satis conspicuos, D. Iacobum Andrea, D. Andream Musculum, D. Christophorum Cornerum, D. Nicolaum Selneckerum, D. Martinum Chemnitium, & D. Davidem Chytraum, hinc inde Torgam convocavit, eosque de Formula ineundae concordiae sollicitè cogitare jussit. Hi primam statim ibi delineationem Libri Christianae Concordiae fecerunt, eamque postea aliorum Principum ac Doctorum Censuris ulterò submisserunt: Postea transmissis & acceptis de Torgensi Delineatione Censuris variis Anno 1577. Abbatis in Cœnobio Bergensi prope Magdeburgum permissu, in ejusdem Cœnobium sese contulerunt, singulisque diligenter expensis Formulam illam Concordiae laudatissimam invenerunt, inventam aliis rursus communicarunt, & communicatamque judiciis ipsorum subjecerunt, donec tandem Anno Christi 1580. & ab exhibita Confessione Augustana 50. sub auspiciis divinis, plenarie publicaretur Formula haec nostra Concordiae, in genere & specie considerata, multorum Principum nomine edita, & 8000. subscriptorum suffragiis comprobata: Quam tamen Calviniani, ex mero calumniandi studio, Formulam Bergensem, ejusque Scriptores Patres Bergenses, ab ipso scilicet conciliationis & compositionis Loco, nominare consueverunt. Qua dere videri imprimis potest Concordia Concors celeberrimi quondam ex nostratibus Theologi D. Hätteri.

12. Cur tandem Epilogi loco ipsi Libro Concordiae adjectus sit Catalogus Testimoniorum tam Scripturae quam purioris Antiquitatis, circa divinam Carnis Christi Majestatem; satis declaratur in ipsa Concordia (Formae 8væ p. m. 832.) quod exinde petendum relinquimus.

*Libri Concordia*

*Inventio  
delecti Augusti.*

*Dispositio & Elucido  
ex Theol.*

*Mens. Martii.*

*MDLXXX.*

*Ochium Calvinianorum  
in Form. Conf.*

THEO



## THEOREMA XXIX.

III. Consi-  
derande  
sunt Cause  
excitatorie.

III. Notentur Cause, quæ ad diligentem Li-  
brorum Symbolicorum lectionem nos estimu-  
lare debent. Illarum sunt quinque, potissimum. 1. Libri  
Symbolici sunt Norma Secundaria, secundum quam omnia  
nova examinari & dijudicari debent Dogmata. 2. In Libris  
Symbolicis habentur accurate Formula & Phrases loquendi  
de quovis Articulo, quibus maturè debemus assuescere. 3.  
In iisdem continentur Historia certaminum, quorum seriem &  
genuinum statum nosse, futuro Theologo valdè necessarium  
& fructuosum est. 4. Profitemur insuper nos socijs Formula  
Concordiæ, & illi omnes Ministri in his Regionibus tenentur  
subscribere. Vana autem foret illa professio & temeraria sub-  
scriptio, si nunquam lecti essent Libri Symbolici. 5. Pasto-  
res simul commendare debent ista Symbola Auditoribus, &  
providere, ut incorrupta conserventur, & ad Posteritatem  
feram propagentur: Quod minimè fiet, si ista non curent,  
neq; legant, neq; unquam cognita habeant.

Quarum  
sunt quinque  
1. Normæ  
ratio.  
2. Locutio-  
num proba-  
tum cogni-  
tio.

Sunt hæ Cause singulæ Librorum Symbolicorum diligen-  
ter evolvendorum admodum graves & evidentes. Nam 1. Si  
ad eos, tanquam ad Normam secundariam Dogmata quæcunq; ob-  
lata exigi debent; accuratam profectò ipsorum cognitionem  
præcedere, erit necesse. 2. Maximè unumquemq; fidelem  
addecet, ut eandem cum Ecclesia Dei alat ὁμοψυχίαν, non tan-  
tum quoad res & opiniones, sed & quoad verba & elocutiones.  
Quod expressè Paulus Timotheo præcipit 2. Tim. 1. 13: Ἐπιτοῦ πῶσιν  
inquiens, ἔχει ὑγιαίνοντων λόγων, Formam habes sanorum verborum.  
Quæ autem hodiè post S. Scripturam dari potest alia Forma me-  
lior, quàm quæ in ipsis Symbolicis Libris exhibetur? Augustinus  
idem necessarium dicitat & utile: Philosophi, inquiens, liberè u-  
tuntur verbis; nos autem ex præscripto in Ecclesia loqui tenemur. Nam  
sicut aliquis Principi mundano preces supplices oblaturus, Sty-  
liq; aulici nescius, ineptus censetur, nec aliquid facilè impetrat:  
Ita in Theologicis parum sibi promittat, qui usitatas Scripturæ  
& Eccle-



& Ecclesiæ Phrasos contumaciter ignorat. Qui fingit nova verba,  
simul nova dogmata gignit, in vulgato dicitur Versiculo: Contingat  
 hoc illis necesse est, qui Libellos istiusmodi Symbolicos, in qui-  
 bus Phrasos illæ in Ecclesiâ usitatæ habentur, cognoscere con-  
 temnunt 3. Debet unusquisq; Theologus maturè cognoscere  
tum Hereticorum in Dogmatibus pervertendis pijsq; turbandis  
astutiam, omnibus temporibus usurpatam, ut cavere queat; tum  
Orthodoxorum in falsis refellendis animisq; bonis confirmandis  
solertiam, nullo non ævo adhibitam, ut applicare similiter va-  
 leat: Quomodo verò cognoscet, si Libros eos, qui historiam  
 ejusmodi certaminum proponunt, nunquam perlegere abeat?  
4. In Philosophia culpam solemus illos, qui nomine tantum  
 non re artis alicujus possessionem jactitant: Et in divina nostra  
 Theologia nos ipsi Confessores erimus potius Nominales, qui ore  
 quidem Concordiæ Formulam amplectantur, nomen etiam  
 manibus subscribant; reverà autem, quid ea sit, quidvè in ea  
 comprehendatur, quidq; contra conscientiam propriam pro-  
 mittatur, planè nesciant: quàm Reales, qui lectione sedulâ Con-  
 cordiam prius aliquatenus cognoscant, cognitaq; demum rectè  
 & verè, atq; cum plena mentis πληροφωρία subscribant?  
 Notum est illud Christi Luc. 6, 39. Nunquid cæcus cæcum ducere po-  
 test? Nonne ambo in foveam cadunt? Videat hinc unusquisque di-  
 ligenter, ne docere alios præsumat, quod ipse non teneat; ne vè  
 cæcus colorem alijs commendare dicatur. Mercenarius veniente lupo  
 deserit oves fugitq;, & lupo rapit ac dispergit oves, inquit Christus  
Joh. 10, 12: Ipsissimus profectò erit mercenarius, qui neglectâ Li-  
 brorum Symbolicorum curâ, per κρητίειον istud oves suas pascua  
 salutaria à venenatis, Pastorem alienum à vero discernere non  
 docuerit. Qui legit, attendat: Quiq; aures habet ad audiendum, au-  
diat, Matth. 24, 15. Luc. 8, 8.

3. Contro-  
versiarum  
dijudicatio.

4. Usitata  
subscriptio.

5. Auditori  
conditio.

## THEOREMA XXX.

Tandem IV. Notetur Modus, secundum quem  
lectio Librorum Symbolicorum institui debet.  
Sciendum hic 1. In quamquam Lingua sint legendi,

IV. Tenen-  
du est Mo-  
du pro le-  
gendis illis  
cum necessarius.

H



Concernit *cum Latino & Germanico Idiomate concepti constant? Ubi  
autem Textum Originalem precipue commendamus.*

1. Ipsorum  
Idioma.

Circa Modum eadem ferè hic observantur rectissimè, quæ  
superius de Lectione Scripturæ Cursoria demonstrabantur; ex-  
cepto Ordine, qui simpliciter hic à capite ad calcem est institu-  
endus. Et Textus quidem Originales in Libris Symbolicis o-  
mnibus unam eandemq; Linguam, ut Authenticam, non agno-  
scunt. In Symbolis enim tribus Textus Authenticus est Græcus:  
In Confessione Augustana Articulūq; Schmalcaldicis, Latinus: Et in Ca-  
techismo Lutheri utroq; ac reliq; in Libris omnibus, Germanicus.

## THEOREMA XXXI.

2. Idioma-  
tis Exēplar. 2. Quodnam Exemplar adhibendum? O-  
ptimum autem videtur illud, quod editum Lipsia in 4to, ubi  
Latinus & Germanicus Textus junctim ita est impressus,  
ut Periodi singulis paginis sibi correspondeant mutuò.

Ratio Consilij est in promptu, quoniam Editio illa non tan-  
tū Typis majoribus est insignis, ideoq; Senectā etiam appro-  
pinquante non inutilis: Verū etiam ipsa, si quando ulus exi-  
gat, ut Germanicè debeat exprimi, quod Latine fuit Originali-  
ter scriptum, & contrā; in facie statim opposita verba submi-  
nistrat Versionis illius, quæ statim post exhibitos Libros Symbo-  
licos est concinnata, atq; à Scriptoribus fortassis ipsis, vel illo-  
rum saltem coætaneis & coadjutoribus adhuc viventibus ap-  
probata. Quo ipso egregiè caveretur, ne locutiones minus  
commodæ in Ecclesiam introducantur.

## THEOREMA XXXII.

3. Lectionis  
tempus. 3. Quo tempore instituenda Lectio? Ubi  
eam differri nolim, sed potius primus in Studio Theologico  
labor sit Librorum Symbolicorum aliquoties repetita evo-  
lutio: Quod intra Quadrantem Anni facillimè poterit  
expediri.

Symbo-



Symbolici namq; sunt, & Orthodoxos ab Hæreticis, pi-  
os ab infidelibus segregare debent, ut in *Theoremate XXVII.* est  
assertum: Maturè ergò meritò quivis Christianus miles de Sym-  
boli seu Tesserae suæ notitia comparanda dispicit, ita ut cum ipso  
quasi lacte Biblico & Theologico illius cognitionem per bonam  
unà imbibat. Quiq; à principio statim Theologici Studij sin-  
gulis Anni Quadrantibus Concordiam integram diligentius  
percurrere semel absolverit; æstimare de facili potest, quàm  
promptus, quàm expeditus in collatione de Controversijs in  
eadem comprehensis sit futurus.

### THEOREMA XXXIII.

4. Quænam subsidia memoriæ adhiberi possint? 4. Memoriae  
adminicula  
*Ubi hoc consilij damus. 1. Ut precipua rerum momenta in*  
*marginè per breves notas ponantur. 2. Ut Tabule fiant Syn-*  
*opticae, singulorum Articulorum seriem exhibentes. 3. Ut*  
*Articulorum numerus & ordo Versibus includatur Memoria-*  
*libus, vel beneficio Artis Memorativa per imagines impri-*  
*matur. 4. Ut obscura, dubia, apparenter contradictoria,*  
*& alia nondum satis intellecta, in peculiari charta notentur,*  
*quò de ijs cum tempore colloqui cum alijs, & veram explica-*  
*tionem percipere possimus. 5. Ut singulis Septimanis institua-*  
*tur repetitio quorundam Articulorum: Id quod Contubern-*  
*ales minimè negligere debent, qui sese interrogent, & re-*  
*spondeant reciprocè. Quo pacto & series Librorum atq; Ar-*  
*ticulorum, nec non Summa eorundem, brevi tempore fami-*  
*liaris reddi poterit.*

Hæc omnia ex ijs singulis, quæ superius pro memoria circa  
Lectiorem Biblicam adjuvanda allata fuerunt, satis sunt lucu-  
lenta. De Memorialibus tantum Versibus concinnandis ut hîc etiam  
Exemplum quoddam apponatur; *Articulos XXI. Confessionis Augu-*  
*stane, ejusq; VII. Abusus*, non incommodè *4. hîc Distichis* compre-  
hendi ac memorari posse putamus:



1. 2. 3. 4. 5.  
Est Deus; inde Scelus; Christus; justusq; Minister;

6. 7. 8. 9.  
Hinc Opera; & Coetus; Non malus obstat; Aqua;

10. 11. 12. 13. 14.  
Coena; & Fessio; post Dolor; Usus; & Ordo; boniq;

15. 16. 17.  
Ritus; Iura licent; Iudiciumq; venit;

18. 19. 20.  
Arbitrium; Peccans homo sponte; Fides juvat una;

21.  
Nil profunt Sancti: Hæc nostra recepta Fides.

1. 2.  
Utraq; sed species; Iarus & sunt inter Abusus;

3. 4. 5. 6. 7.  
Missæ; Occulta; Cibi; hinc Optio; Vig; Sacra.

Sic Articuli XI. Epitomes seu Formula Concordiæ speciatim distæ, optimè hoc Disticho inclusi exhibentur:

1. 2. 3. 4. 5.  
Peccatum; Arbitrium; Iustus; Bona facta; Sequestra;

6. 7. 8. 9. 10. 11.  
Usus; Edas; CHRISTUS; Infera; Ritus; Amor.

### THEOREMA XXXIV.

III. Compendii Theologici diligens evolutio. *Tertium Medium est Compendii alicujus Theologici & Lutherani assidua Lectio. Ubi si quis assuetus sit a pueritia vel Margaritæ Theologica, vel Compendio Hütteri, vel Catechesi D. Theodorici; non assumat alium Autorem, sed retineat antiquum, ejusq; lectionem toties iteret, donec principales Definitiones, Distinctiones & Canones verbotenus recitare possit.*

Hujus necessitas ostenditur. *I. Sic igitur Mediorum Synopticorum unum sufficienter est consideratum: Sequitur recta alterum. Quod enim in Theoremate VII. & XI. de Doctrina Catechetica necessitate aliquoties generaliter est dictum, illius nunc modus specialis peculiariter instillatur. Valdè hoc existit necessarium, ut quivis, quàm primum saltem Theologicum studium inchoaverit, σωματοποιήσῃ*

quan-



quandam ac *σύνολον* totius Doctrinae caelestis ex *Libello* quodam *Methodico*, ad normam Scripturae S. Concordiaeq; Christianae directo, sollicitè addiscat, probeq; teneat, quò commodius semper & facilius singula, quaecunq; postea in toto Stadii Theologici Curriculo legerit audieritvè, ad convenientem suum locum referre, inq; illo postea expeditè invenire queat.

2. Quòd autem *unicum tantum per totam vitam Compendium* praecipuè versandum sit; *Causa non difficulter conjicitur haec*, quia inconstanti ejusmodi ab electo uno ad aliud subinde melius *Compendium* transvotatione, nil aliud quis effecturus esset, quàm seipsum nimium retardaturus, memoriamq; prorsus turbaturus, ita ut nunc Praecepta haec addiscens, mox neglectis iis ad alia se convertens, iterumq; his omissis aliorum cognitionem appetens, operam tandem omnem penitus perderet, ac ne unicum quidem Praeceptum ex Compendio ullo, seu primo seu secundo seu tertio, memorare potis esset: Qui verò uni à principio Compendio semper inhæret; facta ejusdem unâ atq; alterâ evolutione, facile omnia ipsius contenta menti exactissimè infigere valet. Neq; enim *praecipuas singulas* totius Epitomes assumptæ lineas, *de verbo ad verbum*, memoriter ediscere pigebit: Quippe quòd maximum cum tempore ac evidentissimum usum habebit in Examinibus sustinendis, Dissertationibus quibusvis extemporaneis instituentis, ac Disputationibus & Concionibus habendis, totaq; adeò vita, ut quis prudentis ac seduli instar *hortulani*, *Questionem* quamvis oblatam ad suam referre *areolam* sciat, nec tanquam in silva ignota errabundus vagetur.

*Identitas  
perpetua  
suadetur.*

## THEOREMA XXXV.

*Sin autem aliquis nondum adeò sit assuetus certo cui-* *dam Compendio; Hafenrefferi cum primis eligat, quòd* *propter materialium delectum, Styli perspicuitatem, Metho-* *di Typiq; elegantiam, & Locorum explicationem paulò ple-* *niorem, aliis ferè palmam praripit.*

*Hafenref-  
feri Com-  
pendium  
commen-  
datum.*

H 3

Qui



Qui enim eligere debet, optimum eligat, electum teneat retineatq; in vulgato est. Et præstabit hic imprimis adhiberi Exemplar ipsum  $\pi\epsilon\omega\tau\acute{o}\tau\upsilon\pi\alpha\omicron\nu$ , quod in Originali Loco est impressum, præ ijs, quæ alibi ad  $\pi\epsilon\omega\tau\acute{o}\tau\upsilon\pi\alpha$  effigiem diligentiam simili excusa non fuerunt, h. e. Tubingense, cum tam elegantioribus Typis quam in mundiore charta exaratum id habeatur.

### THEOREMA XXXVI.

*Ejusdem perfectæ scientiæ comparabitur  
1. Crebrâ repetitione.* Multum verò conducit ad memoriam, si tale Compendium non modò privatim legatur diligenter, sed etiam Hebdomadaria unius alteriusvè Loci instituatur repetitio cum Contubernali vel alio aliquo, ut ita facilius hæreant Definitiones singula, si de vero earum sensu conferatur, & crebrius recitentur verbotenus: Series quoq; Articulorum vel Locorum Distichis Memorialibus si includatur, opera non erit dispendium.

Consilij hujus rationes ex ijs, quæ antea de Lectione cum Scripturæ tum Symbolicorum Librorum dicta fuerunt plura, abundissimè patent. Quantas enim & quot utilitates secum ferat insigne istud Repetitionis exercitium, nemo satis exponere potest: Quilibet potius id cum proprio suo commodo opere ipso testatissimè & cumulatissimè experiatur.

### THEOREMA XXXVII.

*2. Epitomarum aliarum conjunctâ perlectione.* Si quis in Compendio Hasenrefferi sibi satis videatur exercitatus, poterit ille simul adhibere Catechesin Theodorici & Exegesin Menzerianam Augustanæ Confessionis, ubi etiam precipui Loci, breviter quidem, accuratè tamen pertractantur: Et tempus optimè collocabit, qui ex tribus illis Autoribus de quovis Loco præcipua excerpit, in chartam conjiciet, atq; ita privatos Locos sibi ipsi paulatim colligere incipiet.

Notis namq; jam eâ ratione, quâ dictum, exactè principioribus Epitomes Hasenrefferianæ Capitibus, qui postea memoratas duas simul adhibuerit ac perlegere inceperit; mox deprehendet, quænam in Compendio suo sint omissa, quæq; in illis uberius



uberius sint explicata, & dexterius conciliata ac refutata, tumq;  
hæc etiam absq; difficultate magna memoriæ suæ imprimet:  
Quibus si deinde accesserit privata & diligens rerum in illis tra-  
ctatarum & explicatarum præcipuarum peculiaris in chartam  
consignatio; exinde statim perfectiorem quandam Scientiæ  
Theologicæ Ideam comparari, & bonam Quæstionum Theolo-  
gicarum notitiam hauriri, nemo nisi osor atq; ignorans infi-  
cias iverit.

## THEOREMA XXXVIII.

*Siquis autem alicubi hæret, proprioq; Marte aliqua non* 3. Facili  
*intelligit; is Studiosos doctiores consulere, aut Professores* interroga-  
*adire, & veram explicationem petere non erubescat.* tione.

Nam, ut vulgò dicitur, Non pudor est nescire aliquid: Sed di-  
scere nolle, & pudor & scelus est. Ita q; qui erubescere vult, non discet,  
ut inquit Rabbini: Ast qui cupit informari, nec temere vult  
ignorare; eundem ignorantiam suam, quâ quidem omnes na-  
tura laboramus agnoscere & confiteri non pudeat, sed maturè  
discat ipse interrogare. Repulsam enim ut quis fortassis dari  
sibi metuat, non est: Siquidem ex verè doctis, ingenuis pijsq; ho-  
minibus nullus facilè (qui modò superiora, de communicatio-  
ne candida in *Theoremate IX. & XIII.* asserta, non obiter confi-  
deraverit) tam morosus tamq; invidus erit, ut de Loco aliquo  
difficiliore interrogatus, solutionem & declarationem veram  
communicare, ignorantemq; fideli informatione juvare recu-  
set, aut quærentem statim repellat, nec equo aliàs currenti ulte-  
riora, calcaria addat; Potius dubitantem fideliter instruet, ac  
difficultatem propositam, quomodocunq; poterit, tollere con-  
tendet.

## THEOREMA XXXIX.

*Ita verò versandum semper est in lectione Compendij a-* 4. Prudenti  
*liorumq; Scriptorum omnium, ut non credatur ijs absolutè, tractatione*  
*sed cuncta conferantur cum Scriptura tanquam unice infals-*  
*libili Norma: Et que citantur ex Adversarijs vel Patribus,*  
*ea inquirentur in ipsis Libris, & exploratio fiat, num rectè*  
*& per omnia ad mentem Autoris allegentur.*

Duo



Duo hic, ut in quorumvis fermè Scriptorum evolutione, periculosi sunt scopuli: Unus *credulitatis nimia*, quâ ipsi Autoris sententiæ tenacissimè ita inhæretur, ut diversum interdum & verius quidem proponentibus, semper obtendatur *Pythagoræorum* illud, *Αὐτὸς ἔφα*; Alter *fidei exigue* seu magnæ diffidentia, quâ ubiq; ferè Autor satis perspicuus in dubium trahitur, nec plenus ei assensus ullibi præbetur. Ad utrumq; ceu ad duo Virtutis Extrema duriter impingitur, dum falsa ibi pro veris at plurimum apprehenduntur, hic vera etiam non recipiuntur: Medium facilimè tenebitur, si ad *Scripturæ Normam* Dogmata omnia diligenter examinata fuerint. Ita enim continget, ut *consensum* deprehendentes, majore postea cum *aviditate* nostrum Autorem evolva- mus; *dissensum* cernentes, eò *cautiores* & attentiores in evolutione fiamus: Sicut ex diligenti citatorum inquisitione & collatione idem similiter fructus ad nos redundabit, ut vel Autori *rectè alleganti* tutius *fidamus*, vel verba nonnihil *immutanti*, de causa solliciti, *circumspectius* attendamus.

## THEOREMA XL.

IV. Plenioris Locorum  
ἐξήγησις  
perlustratio.

*QUARTUM* Medium est *Cursoria Locorum Communium* paulò plenius tractatorum evolutione. Ubi non videtur *inconsultum*, ut quis maturè *Locos Communes Dn. D. Gerhardi sibi comparet*, ac *lectioni eorum semetipsum assuefaciat*.

Satis hætenus dictum de *Medijs Synopticis*: Quibus ritè comparatis, proxima meritò est cura de *Exegetico* seu tali Medio, per quod plenior nobis & uberior *Materiarum Theologicarum* cognitio conferatur. Neq; enim in *Synoptica Locorum Theologicorum* notitia ex *Libellis Methodicis* est subsistendum: Ad accuratiorem unà & perfectiorem eorundem tractationem *cursum concitato* est pergendum. Pro qua quidem absolvenda *Locos* potissimum *Clarissimi Dn. D. Gerhardi Theologicos* propterea commendamus, quoniam pro nostro qualicunq; *judicio* (quo tamen aliorum *Sententijs* suo modo consideratis præjudicatum nolimus) nemo præter ipsum hodiè habetur, qui *tantâ copiâ & ubertate* *Quæstiones quascunq; Theologicas* in unum fasciculum coarctavit.



Stavit, quiq; tantâ curâ & sedulitate *Controversias omnes*, quæ nobis cum Hæreticis quibusvis seu Veteribus seu Recentioribus intercedunt, enarravit & pertractavit: Quas ob causas proposito operi continuando rectissimè adhibetur.

## THEOREMA XLI.

*Sit autem Lectio tantùm Cursoria: Nihil hic excerptum vel peculiariter annotandum, sed tantùm Textus ipse continuo perlegatur, hoc solùm in fine, ut quodammodò nota fiant Controversie, & generalis aliqua comparetur earum notitia.*

Eaq; simpli-  
citer Cur-  
soria.

Non enim jam quidem opus est, ut ipsi peculiariter meditemur, quomodo Quæstionem propositam sive Orthodoxam confirmare, & ab Hæreticorum strophis vindicare queamus, sive Heterodoxam confutare velimus; quippe quod ad accuratam & Acroamaticam Theologie Cognitionem spectat: Sed sufficit nunc tùm *Deum* nostram asseruisse, tùm Adversariorum *avli Deum* removisse, eâ rationum vi & methodo, quâ ipse Autor in *Locis* viam nobis præivit.

## THEOREMA XLII.

*QUINTUM Medium est Lectionum Theologicarum exceptio. Ubi sufficit, si primo tempore audiatur partim Locorum tractatio, partim Libri alicujus Biblici explicatio.*

V. Lectio-  
num au-  
scultatio.

Ab explicatis hætenus Theoreticis progredimur nunc ad *Media Practica*, quæ iterum constitui queunt duplicia: Duo videlicet *Scholastica*, ut Lectionum auscultatio, & Disputationum frequentatio; ac duo *Ecclesiastica*, ut Concionum auditus, & Historiæ Ecclesiasticæ aliqualis intuitus. Et Lectionum quidem audiendarum necessitas in *Disputatione I.* est demonstrata: Hic tantùm aliquid annectimus de *Objecto & Modo* istarum Lectionum, quæ videlicet *materiae*, & quâ ratione sint audiendæ? Primum ergo quod attinet, audiendi opera in Capita duodictatectissimè distribuitur. Cùm enim privatæ nostræ meditationes vel ad *Scripturæ intelligentiam*, vel ad *Locorum Theologicorum scientiam* referantur: Conveniens sanè est & utile, ad geminum

Circa quâ  
considerari  
oportet  
Tùm Mate-  
riam audi-  
endam:



illum scopum auscultationem quoq; publicam dirigi. Ita enim occasio habebitur commodissima tum Locos Scripturae difficiliore intelligendi, tum Doctoris de Quaestione aliqua traditam Explicationem cum Compendio antea probe cognito conferendi, atq; sic penum Theologicae Cognitionis instructiorem reddendi: Imo & manu ductio dabitur gratissima ad accuratiorem cum tempore tam Bibliorum lectionem quam Locorum translationem instituendam.

### THEOREMA XLIII.

Tum Modum observandum.

*Optimum vero Lectiones audiendi Modum quatuor Adverbis inclusum damus. Audias ergo 1. Reverenter, ut ames colasq; Doctorem. 2. Ferventer, ut sis attentus & discendi cupidus. 3. Constante, ut usq; ad finem, dum coepit absolvatur materia, perseveres. 4. Prudenter, ita ut a. Doctoris dona & virtutes imiteris, a vitijs abstineas. b. Inter prelegendum subinde cogites, quomodo ijs, quae proponantur, salutariter uti possis & velis. c. Singula, quae proferuntur vel obiter vel in contextu ipso, diligenter annotes. d. Annotata domi aliquoties repetas, paginas numeris distinguas, rerumq; memorabilium Indicem facias, quod cuncta eo facilius inveniri, & felicius ad usum transferri possint.*

Singula haec Adverbia ipsum ad Audire hoc in casu necessario circumscribere, quilibet videt. Nam 1. Ob res praclaras, quae proponuntur, & dona eorum, qui audiuntur, affectus hic Admirationis & Amoris est unicus, qui circa Lectionum auscultationem in nobis praecipue excitari debet, & ex quo reverentiam statim debitam nasci decet. Quicumq; ergo salutarem auditarum Lectionum fructum ferre voluerit; & ipse debitam Doctorem reverentiam dignetur, observantiamq; sinceram veneretur. Cibus enim, Lumen, Oratio non prosunt, nisi animo accipiantur grato; trium est Veriverbium. 2. Reverentia sola efficere nil potest, sed ei juncta diligentia: Itaq; qui auscultationis operam perdere noluerit, is in audiendo Doctore minime negligens sit, necesse est. 3. Plerumq; nunc ingeminandum Gregorij illud, Incepisse multorum est, sed perfecisse paucorum; fereq; contingit, quod vulgatus habet



habet Versiculus: *Principium fervet, medium tepet, ultima frigent.*  
 Longè alia constantiorq; mens decet idoneum verumq; Auditor-  
 rem. Requiritur enim constantia tum propter Doctorem, cujus stu-  
 dium auditor semper, juxta Poëtam, excitat: tum propter Audito-  
 rem, qui parum profectò proficiet, nisi ad finem perseveret. *Sola*  
*namq; inter virtutes perseverantia coronatur, ait Bernhardus.* Dura  
 itaq; in via studioq; sumus, non respiciamus cum Lothi uxore,  
*Gen. 19, 26; nec revertamur in Ægyptum cum Israëlitis, Num. 14,*  
*4: Sed ita curramus, ut comprehendamus, 1. Cor. 9, 24. 4.* Ut tan-  
 dem ad convenientem usum omnia rectè transferantur, optimã  
 opus est circumspectione, cujus variæ sunt partes. Nimirum  
 a. Doctoris vita est observanda, *Hebr. 13, 7.* ß. Cogitandum  
 subinde Academicum illud *πολυτεύλλητον*: *Dic, cur hic?* Ut enim  
*balneum* propterea ingrediamur, quò loti corporeq; mundiores  
 egrediamur: Sic ob hunc unicè finem Auditoria intramus, (aut  
 intrare certè debebamus) quò informati menteq; doctiores ex-  
 eamus. γ. Labilis est memoria: Certior quò sit ususq; para-  
 tior, exemplo *D. Hieronymi* (refert in ipsius vita *Erasmus*) tum quic-  
 quid legitur, tum quicquid seu principaliter seu incidenter au-  
 ditur, in Locos digeratur. δ. Tota opera & auscultationis &  
 consignationis propter usum est suscepta: Ergò annotatorum,  
 ad eundem genuina applicatio minimè est negligenda.

### THEOREMA XLIV.

*SEXTUM Medium est Disputationum tam priva- VI. Dispu-*  
*tarum quàm publicarum frequens visitatio. Que cum tationū fre-*  
*fructu instituetur maximo, si 1. Theses, de quibus disputabi- quentatio,*  
*tur, domi diligenter perlegantur. 2. Si ille ipse Locus, qui sub*  
*Disputationem veniet, in Compendio vel Catechesi prius re-*  
*petatur. 3. Si Controversia status accuratè observetur, & Ar-*  
*gamēta ad eum cuncta revocentur. 4. Si auditor, quando au-*  
*dit Objectionem proferrit, nonnunquã cogitet, quid ipse velit*  
*respondere. 5. Si precipuas Objectiones & Responiones, ner-*  
*vosas Distinctiones, & solidas Dictorū Scriptura Explicatio-*  
*nes, fideliter excipiat, annotet ac repetat: Ubi Contubernales*  
*& Amici operæ facient precium, si junctim annotet, & annotata*  
*postmodum domi conferant, & suos quisq; defectus cõpleat.*



*Disputationes*, quæ de Controversijs Theologicis institui solent, duùm præcipuè sunt generum. *Aliæ* enim sunt *Serie*, & cum *Adversarijs veris* ac realibus susceptæ: *Aliæ* verò *Umbratiles* & *Scholasticæ*, cum *Adversarijs quasi fictis* habitæ, & quædam quasi *Seriarum præludia*. In illas uti temerè sese intrudere nemo debet, sed tempestivè satis præter opinionem suam quilibet incidit: Ita has unumquemq; Theologum futurum frequentare sæpissimè decet. Idq; libentius fieri debet tum propter *Exempla* nobilia, & piorum *Prophetarum*, qui *Disputationes* omnes averfati non fuerunt; & *Christi*, qui duodecennis statim *Legisperitorum* *Disputationes* visitavit, *Luc. 2, 47*; & *Patrum Ecclesiæ Primitivæ*, inter quos perpetuo quasi usu fuerunt frequentatæ: Tum verò propter *Commoda* etiam plurima, quæ exinde ad discentes redundant. De quibus plura videri possunt partim apud *Dn. D. Gerh. in Meth. pag. 176. 177. & 178.*, partim in *Disputationis VI. Theoremate II. Modus* autem *Disputationum* cum fructu audiendarum in *Theoremate* luculenter est expressus.

## THEOREMA XLV.

VII. Con-  
cionum au-  
scultatio.

*SEPTIMUM Medium est* Debita Verbi divini & Sacrarum Concionum auscultatio. *Audienda autem sunt conciones à Studioso Theologia. 1. Devotè & ardentè, ut pro intellectu & impressione Verbi ante, inter & post auditum calida emitat suspiria. 2. Submissè & reverentè, ut cogitet, quis, per quos, & quid loquatur. 3. Attentè & diligenter, ne peregrina cogitet, vel animus alibi divagetur. 4. Assiduè & frequenter, ne rarus in templo Domini sit hospes. 5. Piè & obedientè, ut credendis assensum præbeat, agenda opere ipso impleat. 6. Circumspectè & prudentè, ut illos audiat crebrius, qui in concionando excellent; ut observet dispositionem, artificio, verba, elocutionem, gestus, testimonia & Argumenta Emphatica; ut Concionem ipsam excipiat; deniq; ad Locos Communes cuncta referat.*

Omnia ista memorata Capita Theologo futuro, qui Concionum necessitatem ex *Disputatione I.* perspexerit, & utiliter illas audire voluerit, diligenter sunt observanda, ut facile patet.

Nam



Nam 1. Intellectus noster depravatus est ac tenebris obscuratus, *Ephes. 4, 18.* Si nosse debemus mysteria regni Dei, *Luc. 8, 10.* dari id nobis oportet à Spiritu S., qui divinus est Ostiarius, *Ioh. 10, 3.* rogatusq; cor libenter aperiet, ac suâ gratiâ illuminabit & sanctificabit. Ita q; ut Parabolas, quas non intelligimus, percipiamus; cum Apostolis *Matth. 13, 36.* explicationem à Christo petamus, & impetrabimus: Subinde suspiremus cum Davide ex *Psal. 119, 34. 35:* *Da mihi intellectum & scrutabor Legem tuam, eamq; in toto corde meo custodiam, &c.* 2. Loquitur hîc non vilis homo, sed Deus ipse, cujus sermonem cœli & terra observare debent, *Deut. 32, 1.* *Esa. 1, 2;* cujus vocem creaturæ inanimatæ horrent, *Exod. 19, 18.* *Psal. 114, 4:* Multò magis loquentem illum hominum animæ rationales verentur, *Amos. 3, 8.* Quod sanctè fecisse verboq; Domini devotè attendisse omni tempore leguntur tùm pijs quicunq; & Judæi, *Hag. 1, 12.* & Christiani, *1. Thess. 2, 13:* tùm impijs quoq; & infideles Reges, *Judic. 3, 20.* Horum vestigijs merito insistamus, Deoq; in verbo loquente, cum *Ieremia c. 10, 6. 7.* exclamemus: *Magnus es tu, & magnum nomen tuum in fortitudine; quis non timebit te, ô Rex gentium? Loquitur porro Deus per S. Prophetas, Luc. 1, 70.* D. Apostolos, *Matth. 10, 20.* Pastores ac Doctores, *Hebr. 13, 7.* qui sunt Seniores nobis præfecti, *1. Tim. 5, 17.* Præpositi nostri, pro animabus nostris vigilantes, *Hebr. 13, 17:* Loquiturq; verbum non hominis Pastoris, sed sui ipsius Dei, *Ioh. 14, 24.* quod proinde est sapientia Dei, *1. Cor. 2, 6. 7.* Sermo verax Evangelij, *Col. 1, 5.* verbum fidei, *Rom. 10, 8.* Quanta ergò cum reverentia Verbum hoc sapientissimum & efficacissimum, à Divina Majestate per D. Nuncios narratum, auscultare decebit? 3. Non solum hæc verbi est natura, ut aliter nobis communicari nequeat, quam per sedulam attentionem: Sed eandem etiam tùm Deus ipse quasi intendit, *Esa. 32, 3.* tùm Dei Filius serio injungit, *Matth. 24, 15.* tùm fructus salutaris indubiè excipit, *Luc. 8, 15.* Ita q; ne verbum Dei in viam nobis cadat, veniensq; Diabolus sermonem ex corde nostro rapiat, ne credentes salvemur, *Luc. 8, 12;* diligentiam in audiendo adhibeamus. 4. Ut actio una non facit habitum; ita nec una statim Concione fides & intelligentia vera impetratur: Reiterandum sæpius est opus, & frequentanda sunt Tempora, si salutare quippiam effici debet. Cujus rei non



Solum gravissimas habemus causas, de quibus hactenus passim ac præcipuè in Theoremate V. fusiùs est actum: Sed etiam *illustria Exempla Iudeorum*, quater in die ad audiendam Legem aures erigentium, *Nehem. 8, 3. & cap. 9, 3*; *Gentium ac Populorum ad domum Domini fluentium*, *Esa. 2, 2. 3. Mich. 4, 1. 2*; *turbæ ad audiendum Christum properantis*, *Luc. 8, 4*. Meritò ergò & nos libenter ac frequèter ad Templum Domini ascendamus, dicentes cum Davide *Psal. 122, 1*: *Letatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.* 5. *Ficus ista Luc. 13, 6. 7.* in qua venit Dominus fructum quærens, nec invenit, tandem fuit succisa; *Terra spinas tribulosq; proferens*, reprobata est & maledicto proxima, ejusq; consummatio in combustionem, *Hebr. 6, 8*: Idem ne nobis eveniat, obedientiam exerceamus, & fructus Concionibus dignos faciamus. 6. Quod à Christianis veris ubiq; requiritur, ut sint prudentes, *Matth. 10, 16*: Idem à Theologiæ Studio neq; hic abesse poterit. Itaq; 1. Cùm Conciones omnes omnibus diebus audire nequeat; *optimas audiat*, reliquas prætereat. 2. Ex auditis semper *preciosa & laudabilia eligat*, *noxia & vituperabilia fugiat*. 3. Hoc ut facere queat, *Conciones excipere non gravetur*: quippe unde omnia ista copiosè assequetur, quæ hactenus peculiariter commendata fuerunt. Conciones namq; excipiens, vanis cogitationibus non facilè occupabitur: Sed omnia rectiùs percipiet; majores cordis motus sentiet; plenam Dispositionem hauriet; singula memoriæ firmiùs imprimet; atq; sic Theaurum Concionum insignem sibi colliget. 4. Deniq; *Locos etiam Practicos*, usibus quatuor Apostoli 2. *Tim. 3, 16.* accommodatos, maturè colligere incipiat.

## THEOREMA XLVI.

VIII. *Historia Ecclesiastica evolutio.*

*OCTAVUM Medium est Historiæ Ecclesiasticæ aliqualis & compendiosa consideratio. Ubi sufficiet, si Appendix de Concilijs & Patribus, in Schola Fidei à Pelargo edita; sic Epitome Pappi, Academia Schopperi, & Speculum Szegedini perlegantur, atq; præcipua annotentur.*

*Ultimum hoc Cognitionis Theologicæ comparandæ factum est Medium, ordine non quidem cognitionis, sed doctrinæ solim & necessitatis: Aliàs enim Cognitionem ipsam quod spectat, rudimenta-*



dimentaria hæc & generalis Historiæ Ecclesiasticæ contempla-  
tio cum prioribus omnibus æque currere, & cum ipso statim Theo-  
logico Studio inchoari debet. Nam antequam ad pleniorẽ  
ac solidiorẽ dictæ Historiæ pertractationem accessus fieri que-  
at; id ex illis rudimentis commodi habebitur, ut Historia Sacra  
magis dilucida fiat: Promissionis divinæ de Ecclesia contra-  
portas inferorum semper duratura, veritas appareat: Exempla  
virtutum compensatarum ac vitiorum punitorum plurima in-  
notescant: Atq; ex his tandem omnibus honesta mentis oble-  
ctatio ac recreatio sufficienter suppetat. Fructus videlicet sus-  
cepti laboris sat eximius.

### THEOREMA XLVII.

*Addunt alij tanquam NONNUMMULTIMUMq; Medium, IX. Lingue  
Exercitia styli, Conscriptionem Orationum, & sive styliq; Extra  
publicam sive privatam Declamationem. Ita enim & citia.  
facultas de rebus sacris aptè loquendi comparari, & elocutio  
gestusq; formari, & ad munus Concionatorium animus pra-  
parari rectius potest.*

Hoc ipsum in ordine Mediorum nostrorum Practicorum quin-  
tum existeret: Neq; ijs sanè injuriã annumeratur. Cùm enim,  
teste illo de Ecclesijs Scholisq; plurimis meritissimo Chytrao, styli  
exercitatio diligens & assidua ferè sola sit, quã conficiendum est & asse-  
quendum, quicquid in Studijs laudabile speratur: Quilibet ultrò vi-  
det, eundem styli vertendi seu scribendi laborem neq; inter ipsas  
medias Meditationes Theologicas omittendum, sed sedulo &  
quotidiè ferè suscipiendum, conscribendisq; Orationibus & ha-  
bendis Declamationibus subinde exercendum atq; urgendum  
esse, ob utilitates in Theoremate appositas.

### THEOREMA XLVIII.

*Colophonis loco illud notetur adhuc, quòd Studiosus, quàm Lingua &  
diu in Generali Theologia Cognitione comparanda & Medijs Artes sem-  
hactenus prescriptis usurpandis est occupatus; nõ negligere de- per unã ex-  
beat Linguarũ & Philosophiæ Studia, sed jungat ista, & sic colenda.  
expediat utrumq;: cùm impossibile sit, ut uno alterovè Anno  
ad perfectionẽ aliquam in Linguis & Artibus pervenire queat.*

Monitio-



Monitionis hujus causa ex *Disputatione II. & Theoremate nostro VII. XI.* abundè patescit.

Atq; hæc tandem sunt singula illa Media, quibus Generalis Theologiæ Scientia venit acquirenda. Quæ qui diligenter adhibuerit, atq; *Scripturam* principiò *S. sedulo perlegerit*; *Symbolicos* postea *Libros* evolverit; *Compendium* quoddam *Theologicum* didicerit; *Locos Theologicos* plenius *pertractatos* perlustraverit; *Lectiones Theologicas* audierit; *Disputationes* sive *publicas* sive *privatas* visitaverit; *Conciones* *publicas* frequentaverit; & *Historiam Ecclesiasticam* nonnihil cognoverit; sicut & *Stylum* exercere nunquam desierit: Is tandem *Exotericam & Generaliorem Theologiæ* cognitionem certò ac *sufficienter* brevi tempore sibi comparabit. *Quod hæcenus ita ostendisse oportuit.*

SOLI DEO SIT GLORIA





06 A 1004

ULB Halle

3

004 544 633



sb


WMA












Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black
------	------	-------	--------	-----	---------	-------	---------	-------



THEO.

III.

IIIS.

est

TERICA  
TIO,

SNERI,

HARTUS

dianis,

anni,

23

